This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

D. IOAN. FRIDERICI HIRTII

VARIA SACRA

IN PRIMITIIS ACADEMICIS

WITTEBERGENSIBVS

MAXIMAM PARTEM

EXHIBITA

4° R. 14
Th. Bl.

WITTEBERGAE ET SERVESTAE

APVD B. SAM. GODOFR. ZIMMERMANNI HAEREDES

MDCCLXXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS,
AC GENEROSISSIMIS DOMINIS,

DOMINO
FRIDERICO LVDOVICO
DE WVRMB
SERENISS. ELECT. SAXON. REIPVBL. ADMINISTRO
ET CONSILIARIO INTIMO OECONOMIAE PROVINCIAL. OFFICIORVM
ET COMMERCIORVM DIRECTORI, ORDINIS CAESAR. S. IOSEPHI
EQVITI, DYNASTAE IN GROSSENFVRRA cet.

DOMINO
HANS GOTTHELF L. B.
A GLOBIG
SERENISS. ELECT. SAXON. CONSILIARIO INTIMO
ET SVPREMI IN SAXONIA SENATVS ECCLESIASTICI PRAESIDI
GRAVISSIMO, DYNASTAE CLIENTELARVM DOEBSCHKE,
ZEHIST, GIESENSTEIN cet.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMI
ATQVE EXCELLENTISSIMI
DOMINI

PATRONI PIE VENERANDI

Grauissimae omnino sunt causae, quibus permotus sum, vt VOBIS, quos veros expertus sum Maecenates, meas offerrem et consecrarem primitias academicas Wittebergenses. Non animus gratus solum, qui nunquam permittet, vt beneficiorum vestrorum insignium in me collatorum obliuio me capere queat, sed pietas quoque singularis erga VOS, quibus laborum meorum academicorum ratio inprimis etiam reddenda est, hoc officium iure meritoque a me postularunt. Licet non dubitem, fore quosdam, qui libellum hunc exiguum non satis dignum tantorum virorum personis iudicent; licet negare etiam nolim, me aliqua animi trepidatione affici, dum

Digitized by Google

ad VOS, VIRI ILLVSTRISSIMI et EXCELLENTISSIMI, exile hoc munus oblaturus accedo; excutienda tamen fuit dubitatio illa atque timiditas, quum publicum animi deuotissimi testimonium exhibendum esset. Et spem ingredior firmam, fore, vt VOBIS, PATRONI OPTIMI, pro summa vestra, quam omnes mecum mirantur et venerantur, clementia, haec animi mei pietas non displiceat, qua opusculum hoc qualecunque humillime dedico VOBIS. Deus ter optimus maximus VOS vniuersae Saxoniae, rei sacrae, litteris, bonis omnibus, mihique tandem et meis, quam diutissime seruet incolumes, et omnia, quae beatos VOS atque felices reddere possunt, largiatur VOBIS, tristia contra quaeuis atque aduersa a VOBIS pariter ac DOMIBVS VESTRIS SPLENDIDISSIMIS auertat semper, et in prospero omnium rerum cursu per longissimum temporis interuallum VOS vita fungi iubeat. Id quod ardentissimis precibus pioque pectore optat, et VESTRO vlteriori patrocinio ea qua par est animi submissione se commendat

ILLVSTRISSIMORVM NOMINVM VESTRORVM

deuotissimus

IOAN. FRID. HIRTIVS.

Digitized by Google

EXERCITATIO I.

DE Ακριβεια

IN ELIGENDIS DICTIS CLASSICIS THEOLOGIAE PROBE OBSERVANDA.

Digitized by Google

Digitized by Google

EXERCITATIO PRIMA.

De ακριβεια in eligendis Dictis classicis theologiae probe observanda.

Quo praestantius est illud Dei benignissimi beneficium, quod per magni LVTHERI nostri reformationem ad totam nostram redundauit ecclesiam, eo magis a cordatioribus omnibus pia mente semper celebrandum est idem, et maxima immortalis memoriae viri, a Numine sapientissimo ad hanc rem excitati merita, gratissimo erga Deum animo sunt agnoscenda, *) et ad omnem posteritatem litteris propaganda. Quae merita, per conatus recentiorum quorundam virorum, gloriam reformationis doctrinae euangelicae affectantium, vt

 obscu-

*) Sicut hoc in Saxonia nostra quotannis fieri solet publice, ex laudabili instituto, et mandato sapientissimo Serenissimi Principis et Electoris Saxoniae IOH. GEORGII II. inter coelites triumphantis, an. 1667. euulgato, id quod cognosci potest ex CHRIST. GERBERI *Historie der Kirchen-Ceremonien in Sachsen* p. 227. et MART. NIC. GRINSII Chronico ad an. 1667. et p. 104.

Digitized by Google

obſcurentur, tantum abeſt, vt ſemper potius manſura ſint ſarta tecta, et omnis e contrario hominum horum conatus nullo prorſus modo cum praeſtantiſſimo b. LVTHERI labore aut opere comparari queat, ſed tanquam inanis et ſuperuacanea res conſiderari ac reiici debeat. Sunt certe, qui ſyſtema doctrinae noſtrae euangelico-Lutheranae *reuiſerunt*, vt loqui amant, neque tam vnum illius alterumque dogma, quam potius hoc totum aggredi et impugnare coeperunt, ſimulque oſtenderunt, ſe in locum noſtrae doctrinae nihil fere, niſi Socinianorum placita, ſubſtituere velle. De quo infelici et intempeſtiuo nouaturientium ſtudio publice recteque conqueſtus eſt nuperrime S. Ven. IOAN. ACHAT. FELIX BIELCKIVS, Theol. Doctor et Profeſſor primarius in Gymnaſio regio Stettin. et ſanctior. per Pomeraniam Boruſſ. et principatum Caminenſ. dicaſterii Conſiliarius, in peculiari libello doctiſſimo, qui inſcribitur: *De innocentia doctrinae euangelico-Lutheranae.**) Sunt etiam alii, qui faſtu ridiculoſo, et nimio inclareſcendi ſtudio ducti, per nouam dictorum quorundam in Sc. S. obuiorum expoſitionem reformatorum nomen ſe ſtatim adipiſci poſſe perſuaſerunt ſibi, non perpendentes, permagnum eſſe diſcrimen inter reſtaurationem veritatis euangelicae ab apoſtolis ſacris traditae, ſed traditionibus humanis obliteratae et ſuppreſſae, quae reformationis nomine venit, et inter emendationem atque accuratiorem (ſi modo ab aliis etiam pro tali ſemper haberi poteſt) huius vel illius dicti explicationem ab aliquo inſtitutam. Non heri aut nudius tertius in emendandis naeuis nonnullis exegeticis operam ſuam collocarunt doctores noſtrates, et vt argu-

*) Prodiit programma hocce Stettini typis Struckianis 5 plag. in fol. Domin. XXI. p. Trin. anno praeterito 1774. quo FRID. GOTTH. VOGELIVS, linguarum orientalium profeſſor, in Gymnaſio iſto academico, more antiquo ſolitoque d. 25. Octobr. inſtituebatur.

Digitized by Google

argumenta veritatibus probandis respondererit, allaborarunt. Quis vero ex illis vnquam reformatoris ecclesiae nomen sibi ideo arrogauit? Illud ne per somnium quidem vllus cogitauit. Non negamus, si dicendum quod res est, et in libris nostris symbolicis, et in systematibus aeque ac compendiis theologicis, interdum allegari scripturae loca, quae, si ex contextu diiudicantur, non id demonstrant dogma, cuius causa adducuntur. Sed quis ab hac vel illa παρεξηγησει ad dogmatum ipsorum falsitatem concludet, vbi non desunt alia loca, quibus comprobantur dogmata, omni exceptione maiora? Nostrum quoque studium in hac Academia celeberrima eo sub auspiciis diuinis inter alia erit directum, vt clarioribus hermeneuticae sacrae praeceptis imbuti, aliisque philologiae subsidiis tempore nostro magis iustructi, modo huic, modo alii Scripturae sacrae dicto nouam lucem accensuri, simulque ακριβειαν in eligendis dictis classicis Theologiae commendaturi simus; absit vero per Deum sanctissimum, vt aliquis, reformatoris laudem et honorem ideo me vnquam esse captaturum, cogitet, et eiusmodi cogitatione peruersa me offendat maximopere. Vnicum doctrinae euangelicae purioris atque sanioris restauratorem et reformatorem agnoscimus, eumque in b. LVTHERO nostro colimus, semperque colemus; hoc tamen simul optamus ex animo, vt quilibet doctor et scriptor, reformationis nouae cupidus, de reformatione cordis sui et bonorum apud se et alios morum, doctrinae nostrae euangelicae verae respondentium, ope Spiritus sancti promouenda, nunquam non summopere sit sollicitus.

§. I.

Tota nostra theologia, quanta quanta est, bibliis sacris tandem innititur, rectequeb. LVTHERVS noster diu dixit:

Biblia faciunt theologum. *) Theologi igitur eſt, vt omnem adhibeat curam, veritates theologicas ex bibliis ſacris rite eruendi; theologi etiam eſt, vt omnem antea moueat lapidem, biblia ſacra intelligendi atque recte interpretandi. Ad vtrumque ſi reſpiciet theologus, non omnibus promiſcue ſcripturae ſacrae effatis in probandis veritatibus theologicis vti poterit, nec tam de quantitate ſiue multitudine dictorum biblicorum, quam de eorum qualitate potius in eruendis atque aſſerendis veritatibus theologicis erit ſollicitus. Selectus igitur dictorum inſtituendus eſt, huncque ſelectum theologi accuratiores iam diu inſtituerunt, ideoque dicta quaedam biblica *claſſicorum* nomine inſigniuerunt. Praeſens noſtra in eo iam verſabitur exercitatio, vt indolem et naturam *) dictorum claſſicorum theologiae

*) Non ſolum in Operibus LVTHERI Halenſibus a b. I. G. WALCHIO germanice editis Tom. X. p. 384. et inprimis Tom. XXII. Cap. I. ſaepius, nec non alibi, illud aſſeritur; ſed a multis aliis etiam quod Actor. XVIII, 24. de Apolline dicitur, ad theologum omnino requiritur, vt ſit δυνατος ἐν ταις γραφαις. Recte igitur ab omnibus cordatioribus adprobantur etiam verba b. WALTHERI, quae in ipſo *Officinae Biblicae* titulo conſpiciuntur:

Vna ſalus mihi ſunt ſacra *Biblia*, ſola voluptas,
Quae perſcrutandis immoror immoriar.

et verba b. HOFMANNI noſtri in praefat. ad Introductionem Pritianam obuia: „Vtinam vel tandem illa tempora „in Academias redirent, in quibus „ſtudium quod vocant biblicum debi„to feruore ſanctoque zelo olim co„lebatur! — quaeuis ſunt tentanda, „vt, quantum fieri poteſt, neglectui „litterarum ſacrarum adeo graſſanti „obuiam eatur, priſtinusque ſtudii „biblici amor in orbem noſtrum re„uocetur.“

**) Peculiarem hac de re diſſertationem an. 1735. ſcripſit b. BAVMGARTENIVS, cuius editio tertia auctior et emendatior prodiit an. 1744. ſ. t. Diſſertatio theologica de Dictis ſcripturae ſacrae probantibus, quam Praeſide SIGM. IAC. BAVMGARTEN — publico eruditorum examini ſubiecit MATTHIAS DRVDE, Halberſtadienſis. Halae Magdeburgicae, Litteris Hendelianis; 4 plag. in 4. Quem ſecuti ſunt D. FRID. SAM. ZICKLERVS in Introductione, libro *Ausführliche Erklärung der Beweisſprüche heiliger Schrift in der dogmatiſchen Gottesgelahrheit*, praemiſſa §. 5. et ſeqq. et M. GOTTFRIED BÜCHNER in Praefatione Colleg. biblici §. 9. et ſeqq.

Digitized by Google

logiae accuratius indagaturi, atque varia deinceps exempla de ἀκριβείᾳ circa eligenda dicta illa vel recte vel sinistre instituta in variis speciminibus sequentibus, deo volente, adducturi simus.

§. II.

SERVIVS TVLLIVS, sextus romanorum rex, qui nosse cupiebat, quantae essent ciuis cuiuslibet opes, et cuinam ciuium suorum dignitas quaedam, et in conuentibus publicis sententiam ferendi facultas concedi debeat, ciues Romanos per censum in ordines retulit, aliquot eorum classes constituens, praeter infimam plebem, quae homines opibus omnino destitutos, capite censos, aerarios et proletarios, complectebatur. Et sicut illi tantum, qui non erant soluendo, iisdem excidebant; ita locupletissimi et maxima auctoritate praediti, qui ad primam classem pertinebant, vocati sunt *classici* in significatu strictiori et frequentiori. Quoniam igitur classici praecipuam populi partem constituebant, et reliquos ciues dignitate et fide in ferendis sententiis et testimoniis superabant; ortum est exinde, vt omne, quod in suo genere praestantius aliis est, *classicum* appellari soleat. Sic enim non solum scriptores latini praestantissimi vocantur *auctores classici*, *) sed vocabulum illud vlterius etiam ad testimonia Scripturae sacrae praecipua ac primaria fuit translatum.

§. III.

Per *dicta classica theologiae* intelliguntur itaque *effata diuina in scriptura sacra obuia, per quae praecipuum aliquod theologiae*

*) Conf. AVL. GELLIVS in Noctibus Atticis Lib. XVIII. C. VIII. G. H. NIEVPORT in Compendio antiquitat. Romanarum Sect. I. C. VII. p. 34. et IAC. CARPOVIVS in Progr. de ratione auctores classic. tractandi.

Digitized by Google

logide dogma certo euinci poteſt. Praecipua theologiae dogmata reſpiciunt veritates homini ad ſalutem obtinendam ſcitu neceſſarias. Ergo dicta claſſica theologiae ſunt *effata ſcripturae ſacrae, per quae veritates homini ad ſalutem obtinendam ſcitu neceſſariae certo euinci poſſunt.* Ad veritates homini ad ſalutem ſcitu neceſſarias pertinet doctrina de fundamento ſalutis, de ordine ſalutis, et de mediis ſalutis, non excluſis illis, quae cum rebus hisce arcte ſunt connexa. Ergo etiam *ſententia ſcripturae ſacrae, ex qua propoſitio ad doctrinam de ordine ſalutis pertinens certo deriuari poteſt*, dictum claſſicum vocari meretur.

SCHOL. I.

Vltimum hoc aſſertum ex noſtra dicti claſſici definitione deriuauimus, ideoque pro vera propoſitione illud omnino agnoſcendum eſt. Vt vero etiam hancce propoſitionem, ſiue notionem in illa indicatam, cum b. BAUMGARTENIO et BÜCHNERO pro ipſa definitione genuina habeamus, tantum abeſt, vt aſſeramus potius ingenue, aliquid humani viris laudatis hoc loco accidiſſe, eorumque definitionem contra regulas logicas peccare, et anguſtiorem eſſe ſuo definito. Multa enim eſſe dogmata homini ad ſalutem obtinendam ſcitu neceſſaria adeoque in theologia proponenda, quae tamen ipſam de ordine ſalutis doctrinam non ingrediuntur, nemo facile vocabit in dubium. Sic vero BAUMGARTENIUS l. c. §. 10. ſcribit: *„Dictum probans ſcripturae ſacrae vocamus ſententiam eiusdem, ex qua propoſitio ad doctrinam de ordine ſalutis pertinens deriuari poteſt.* Reſtringimus ſignificationem termini ad probationes doctrinales et theologicas, vt a philologicis et hiſtoricis probationibus easdem diſtinguamus, ad quas omnes ſcripturae ſacrae ſententias pertinere fatemur, qui tamen easdem omnes ad probationes theologicas ſufficere negamus, vt ſequentia docebunt. Si illorum ordines conſtituuntur pro graduum diuerſitate, qua magis vel minus ad hunc finem apta ſunt, primi ordi-

nis

nis dicta vocantur *classica*, et praecipuae *sedes doctrinarum.*“ Et BÜCHNERI verba l. c. §. 15. sunt: *Ein beweisender Spruch ist eine solche in der heiligen Schrift befindliche Sentenz, oder Ausspruch, daraus ein Satz, welcher zu der Lehre von der Ordnung des Heils gehöret, deutlich und zur völligen Ueberzeugung hergeleitet werden kann;* et porro in §. 19. *machen wir endlich eine Ordnung unter den beweisenden Stellen, und betrachten solche nach der Verschiedenheit der Grade, da nehmlich ein Spruch mehr oder weniger zum Beweise geschickt ist, so führen die Stellen der ersten Ordnung den Namen,* dicta classica, *als in welchen der Hauptsitz der Lehre, zu deren Beweis solche angeführet werden, deutlich vor Augen liegt. Es sind demnach die* dicta classica *solche Stellen heiliger Schrift, welche ein unverwerflich Zeugniss von der Sache, welche bewiesen werden soll, abzulegen geschickt sind.*

SCHOL. 2.

In eo autem laudatos viros aliosque auctores lubenter sequimur, asserentes, dictum classicum stricte tale, et dictum probans, a se inuicem distingui posse. Differunt nimirum tanquam genus et species, ita, vt quodlibet dictum classicum vocari possit dictum probans, non autem vice versa quodlibet dictum probans nomen dicti classici statim mereatur. *Dictum probans* theologiae generatim enim dicitur effatum, per quod aliquod theologiae dogma adstrui potest; ad *dictum classicum* theologiæ autem requiritur, vt sit effatum *diuinum* in scriptura sacra obuium, per quod praecipuum aliquod theologiae dogma *certo* adstrui potest.

SCHOL. 3.

Sic etiam discrimen ab illis factum inter *dicta classica*, siue probationes primarias, et inter *dicta illustrantia* siue probationes secundarias non improbare volumus. *Illustrantia* enim b. BAUMGARTENIO l. c. §. X. not. *. eiusmodi dicta sunt, quibus veritates ad ordinem salutis pertinentes per exempla, similitudines et contraria, clariores redduntur, seu quae de doctrina, ad cuius illustra-

tionem proferuntur, ex fine et intentione proprie non agunt, interueniente tamen analogia et similitudine ad illam accommodantur ex canone certissimo: eorundem, similium, aequalium et oppositorum eandem, similem, aequalem et oppositam esse rationem. Non solum cognitionem efficiunt clariorem eiusmodi dicta, verum certiorem quoque, si legitime adhibeantur, vnde et secundariae probationes vocari possunt. Et BÜCHNERUS l. c. §. 18. de his dictis illustrantibus scribit: *Es sind auch vermöge der Erklärung* der beweisenden Stellen, *dieselben von den* erläuternden *sehr wohl zu unterscheiden. Wie jene einen theologischen Satz, der zur Ordnung des Heils gehöret, unmittelbar beweisen, so erhalten eben diese Wahrheiten durch Beispiele, Gleichnisse und Gegensätze mittelbar ein Licht. Gesetzt, sie handelten auch nicht eigentlich und ausdrücklich von der Lehre, zu deren Erläuterung sie angeführet werden; so können sie doch, wenn die Aehnlichkeit des Glaubens und die Gleichheit, welche zwischen beyden obwaltet, auf die Lehre, welche damit bestärket werden soll, gar füglich angewendet werden, (vermöge der Regul*: Eorundem, similium, aequalium et oppositorum eadem, similis, aequalis et opposita est ratio.) *Klären aber die erläuternde Stellen die Erkäntnis auf, und setzen solche in eine gröfsere Gewisheit, wenn sie anders recht angewendet werden, so verdienen sie mit Recht den Namen der Beweise von der zweiten Gattung, da hingegen die unmittelbaren Beweise den Rang haben, und Beweise erster Gröfse genennet werden müssen.*

§. IV.

Plures sunt, qui de collectione et pertractatione dictorum classicorum peculiari fuerunt solliciti, licet non omnes aequali studio, eruditione ac felicitate, in enucleandis et illustrandis eiusmodi dictis occupati fuerint. Huc enim pertinent SEBASTIANI SCHMIDII *Collegium biblicum prius*, in quo dicta scripturae V. T. sexaginta sex, *posterius*, in quo dicta scriptu-

ſcripturae N. T. quadraginta ſex, iuxta ſeriem locorum communium theologicorum diſpoſita, dilucide explicantur. Argentorati 1671. 1676. 1689. in 4. IOH. HÜLSEMANNI *Vindiciae ſacrae ſcripturae* per loca claſſica Syſtematis theologici etc. Lipſ. 1679. in 4. ABRAHAMI CALOVII *Apodixis articulorum fidei*, e ſolis Scripturae Sacrae locis, eorum contextu, antecedentibus et conſequentibus, ac Parallelis, ſecundum fontes Ebraeos et Graecos credenda demonſtrans. Luneburgi 1684. in 4. Vitemb. 1690. in 4. HENRICI HOEPFNERI *Collegium biblicum*, poſt obitum eius cura Io. Frid. Mayeri luci publicae expoſitum, Gryphiswaldiae 1703. in 4. IO. HENRICI MAII *Theologia prophetica* ex ſelectioribus V. T. oraculis, ſecundum ſeriem locorum theolog. diſpoſitis, in qua vſus philologiae in theologia ampliſſimus, eiusdemque abuſus nouorum criticorum dilucide oſtenditur, et βεβαιοτερος λογος προφητικος ſolide firmatur, anno 1690. ſub titulo Diſſertationum S. S. inchoata, nunc vero aucta et completa Francofurti ad Moen. 1710. in 4. Accedit eiusdem theologia Dauidis, theologia Ieſaiana, theologia Ieremiana, et theologia prophetica ex vatibus 12 minoribus. FRANCISCI IVLII LÜTKENII *collegium biblicum ſecundum locos theologicos adornatum, das iſt, die fürnemſten Glaubenslehren aus den bündigſten Sprüchen heil. Schrift zu heilſamer Erkaentniſs und gewiſſen Befeſtigung der goettliben Wabrheit* etc. cum praefatione IO. FECHTII, Hafniae 1715. 1726. 1737. in 4. IO. GVIL. BAIERI, filii, *Analyſis et vindicatio illuſtrium ſcripturae ſacrae dictorum*, ſinceram fidei doctrinam adſerentium, ſecundum ſeriem locorum theologicorum ad mentem ac methodum *Io Muſaei* inſtituta. 2 Tom. in 4. Prior huius libri pars cum praefatione pro Muſaeo et Baiero, patre, contra Paullum Pomian. Peſarouium, prodiit Altorfii 1716. poſterior autem ibi-

Digitized by Google

dem 1719. CHRIST. EBERHARDI WEISMANNI *Institutiones theologiae exegetico-dogmaticae*, quibus, praemissa plerorumque dictorum probantium iusta Exegesi, dogmatibus inde confirmatis etc. Tubingae 1739. in 4. EMONIS LVCII VRIEMOET ad dicta classica theologiae dogmaticae V. T. selecta *Adnotationes philologico-theologicae.* Tom. I. II. et III in 8. maj. Franequerae 1743 sq. FRID. SAMUEL ZICKLERI *Ausführliche Erklaerung der Beweißsprüche heiliger Schrift in der dogmatischen Gottesgelahrheit, mit einer Vorrede* Ioh. Pet. Reuschens. Ienae in 4. pars I. 2. 1753. 3tia 1755 et quarta 1764. GOTFR. BÜCHNERI *Collegium biblicum, oder Beweis der Glaubensartikel unserer allerheiligsten Religion aus Hauptsprüchen der heiligen Schrift geführt.* Ienae 1769. in 4. et GOTTHILF TRAVGOTT ZACHARIAE *Biblische Theologie, oder Untersuchung des biblischen Grundes der vornehmsten theologischen Lehren.* Götting. et Kilon. in 8. pars 1ma 1771. pars 2da 1772. pars 3tia 1774.

§. V.

Dictorum classicorum indoles vt eo melius perspici queat, requisita dicti classici singulatim suppeditabimus, quorum primum est, vt *dictum classicum desumtum sit e libro canonico.* Dictum classicum enim est effatum Scripturae Sacrae (§. III.) Scriptura sacra est complexus librorum a sacris scriptoribus ex inspiratione diuina consignatorum. Libri ex inspiratione diuina a sacris scriptoribus consignati vocantur *canonici.* Ergo dictum classicum theologiae e libro canonico desumtum sit necesse est.

SCHOL.

A libris canonicis distinguuntur *apocryphi*, qui internis diuinae originis et inspirationis characteribus non gaudent, et testimonio

Digitized by Google

monio ecclesiae destituti sunt. *) Quibus varius vsus licet non sit denegandus; **) dicta tamen classica theologiae exinde non sunt desumenda, quia ad scripturam sacram stricte sumtam libri apocryphi non pertinent.

§. VI.

Alterum requisitum est, *vt dictum classicum theologiae desumtum sit e textu originali.* Nam per dicta classica veritates hominibus ad salutem obtinendam scitu necessariae certo euinci debent (§. III.): per versiones autem ab hominibus profectas dogma quoddam certo euinci non potest; quia nullam habemus versionem scripturae θεοπνευστον ab omni errore liberam, nec ex vlla versione, nisi supposita eiusdem conuenientia cum textu originali, tuto aliquod dogma erui potest. Ergo dicta classica theologiae non e versionibus, sed e textu originali desumantur necesse est.

Schol.

Inter versiones varias eminet versio antiqua *septuaginta viralis* et *Vulgata*, et ratione posterioris non cum Pontificiis solum longa notissimaque nobis intercedit controuersia, **) sed nostra quoque aetate a quibusdam ecclesiae nostrae doctoribus vtraque saepe nimis extollitur. Haud igitur erit inconsultum, nonnullas

*) De ratione denominationis, cur eiusmodi libri vocati fuerint apocryphi, hoc loco non sumus solliciti, sed lectorem huius rei cupidum ad SVICERI Thesaurum ecclesiasticum P. I. fol. 458. HVETII Demonstrat. euangel. Prop. IV. de Canone librorum sacror. §. VIII. p. 474. seq. edit. Amstelod. 1680. aliosque remittimus, inter quos etiam de libris canonicis latius, et apocryphis strictius sumtis, conferri meretur I. P. REVSCHIVS in Theolog. Polem. de Script. sacr. Controu. I. §. 93. seq. p. 285. seq.

**) De quo vsu inter alios IO. GEORG. HENCKIVS in Diss. de Apocryphis egit.

***) confer. praeter alios IO. ADAM. SCHERZERVS in Antibellarmino Disp. II. thes. VII. et SAL. GLASSIVS in Philol. sacr. passim, inprimis in Dissert. de proteuangelio Gen. 3, 15. contra Iac. Gordon. Huntlaeum Iesuitam Scotum, 1625. habita, p. 1395. sqq.

Digitized by Google

in vtraque obuias aberrationes repetere. Quam infeliciter v. g. verba Iesaiae XXVI, 14. vertuntur *ἰατροὶ ὃ μὴ ἀναστήσωσι medici non resurgent?**) vbi, sicut Psalm LXXXVIII, 11. pro רְפָאִים LXX. legerunt רְפָאִים. Sic iidem pro libertate nimia, quam recentiores criticos sibi hodie etiam arrogare nostratium multi conqueruntur, Gen. II, 2. loco septimi diei posuerunt *ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ*, quum tamen omnis difficultas in textu originali cesset, si verba hebraea vertuntur in plusquamperfecto *absoluerat enim Deus in die septimo omne opus suum, quod fecerat*, nisi malis eadem cum aliis reddere et *perfecit Deus* ante *diem septimum*. Porro Gen. III, 15. pro *ipse* conteret LXX obscure habent *αὐτός σε τηρήσει κεφαλήν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν*. Exod. XXXVIII, 8. pro *e speculis turmatim conuenientium* male verterunt *ἐκ τῶν κατόπτρων τῶν νηστευσασῶν ieiunantium*, et sine dubio pro צבאות legerunt צמות. Habac. III. 2. textum Ebr. plane dereliquerunt LXX. **) Et dum verba quaedam commatis huius verterunt *ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ inter duo animantia cognosceris*, ansam sine dubio dederunt lepidae fabulae de asino et boue ad praesepe Christi a veteribus quibusdam assumtae, de qua conferri potest ANTON. BYNAEUS Lib. II. de natal. Chr. Cap. III. p. 510, seq. 531 seq. †) Quod ad versionem latinam, quam *vulgatam* cognomina-

*) confer. b. HOFMANNI nostri Progr. de negata medicorum resurrectione, in Variis sacris seu Opuscul. academicis, p. 42. seqq.

**) Agnoscit hoc CHRIST. GOTTFRIED STRVENSEE in noua versione germanica vaticiniorum Nahumi, Habak. Zeph. Hagg. Zachar. et Malach. 1770. in lucem edita, vbi ad h. l. p. 25. not. q. scribit: *Die LXX. haben hier ohnstreitig eine andere Lesart gehabt. Sie übersetzen: Ich habe deinen Ruf gehört, und bin erschroken: Ich habe deine Werke gesehen, und bin erstaunet. Unter zween Lebendigen wirst du erkant. Wenn die Jahre kommen, wird man dich erkennen: wenn die Zeit da ist, wirst du dich zeigen etc.* Quando autem addit: *Mich dünkt, die Lesart hat vieles, das sich empfiehlt, und selbst im Grund-Text ist manches, das für sie ist:* mihi e contrario videtur, hoc sine omni causa, sicut sine omni probatione, scriptum esse.

†) Alia exempla plura cognosci possunt ex 10. GOTTL. CARPZOVII Critica sacra V. T P. II. Cap. II. §. VI. seq.

Digitized by Google

gnominare ſolemus, attinet, in illa falſo legitur Gen. III, 15. *Ipſa conteret caput tuum*, pro *ipſum* ſemen, quod eſt Chriſtus. Sic eadem verſio Gen. VI, 5. et VIII, 21. valde claudicat. Quando enim pro exiſtentia peccati originalis noſtrates exinde recte concludunt: ſi omne figmentum et cogitatio cordis humani a prima ſtatim infantia omnibus diebus tantum mala ſunt, ſequitur, vt peccatum congenitum in homine detur; omnis neruus probandi per verſionem iſtam eliditur, et quadruplex in eadem committitur vitium. Prius enim comma ibi vertitur *et cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore*, atque ſic emphaticus textus *omne figmentum cogitationum cordis eius*, ſiue omne figmentum et cogitationes cordis eius, debilitatur, in verbis *tantum eſſet malum* particula adiecta רַק omittitur, et pro *malum eſſe* ſubſtituitur intentum eſſe ad malum, poſterius autem comma redditur *ſenſus enim et cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua*, atque ſic pro *infantia* ſiue *pueritia* male adhibetur adoleſcentia. Ieſaiae LIII, 4. in vulgata falſovertitur: *et nos putauimus eum quaſi leproſum, et percuſſum a Deo et humiliatum.* Vocabulum נָגוּעַ numquam *leproſum*, ſed ſemper potius laeſum, plaga affectum et percuſſum ſignificat. Interim exinde diiudicari poteſt, cur ELIPANDUS, qui Seculo VIII. fuit epiſcopus Toledanus, in errorem de lepra Chriſti prolapſus ſit. Lepra autem tanquam infirmitas perſonalis in Chriſtum ab omni peccato immunem plane non cadit, licet infirmitates naturae humanae communes eidem recte adſignentur. Pſalm I, 5. male vertitur in vulgata: *Ideo non reſurgunt impii in iudicio;* pro: idcirco non *conſiſtent* inprobi. *)

§. VII.

Tertium requiſitum in eo conſiſtit, *vt dictum claſſicum ſit effatum ipſius Dei, vel Chriſti, aut legati diuini ex inſtinctu et*

Sect. II. p. 513. ſqq. et I. H. HOTTINGERI Theſauro philol. Lib. I. Cap. III. Sect. III. Quaeſt. 15. p. 352 ſqq.

*) Plura exempla ſuppeditant ABRAH. CALOVIVS in Critico ſacro, Diatr. IX. §. 32 ſq. p. 335 ſq. et MICH. WALTHERVS in Officina biblica, §. 383. p. 148.

Digitized by Google

et mandato diuino loquentis. Quod ad Deum attinet, qui eſt ens omniſcium ac veraciſſimum fallere aut falli neſcium, effata eius omnia certiſſima et veriſſima ſint neceſſe eſt. Id quod de Chriſto etiam, θεανθρωπῷ, eiusque effatis afferendum eſſe, facile patet. Quod autem ad legatos diuinos attinet, omnia quae inſtinctu et mandato Dei loquuntur illi, tanquam Dei ipſius effata conſideranda ſunt, ideoque eorum etiam effata pro effatis certiſſimis et veriſſimis haberi debent. Cum igitur dicta claſſica eſſe debeant effata, ex quibus praecipua theologiae dogmata certo euinci poſſint (§. III.): illud autem dogma certo euincitur, quod ex principiis cognoſcendi indubiis modo concludendi legitimo deducitur: dicta claſſica eſſe debent effata certiſſima atque veriſſima, ex quibus tanquam principiis cognoſcendi indubiis dogmata theologiae praecipua modo concludendi legitimo deducenda ſunt. Iam vero effata ipſius Dei, vel Chriſti, aut legatorum Dei ex inſtinctu et mandato diuino loquentium, ſunt eiusmodi effata certiſſima, ex quibus tanquam principiis cognoſcendi indubiis dogmata theologiae praecipua modo concludendi legitimo deducenda ſunt: Ergo dicta claſſica ex effatis ipſius Dei, vel Chriſti, aut legatorum Dei ex inſtinctu et mandato diuino loquentium, in Scriptura ſacra obuiis, deſumenda ſunt.

SCHOLION.

Legatos Dei ex inſtinctu et mandato diuino loquentes egerunt partim angeli boni, partim prophetae et apoſtoli. Qui igitur cum b. BAUMGARTENIO *) canonem a nobis hic adductum ita expriment: *Dictum claſſicum ſit ſermo ipſius Dei, Chriſti aut viri* θεοπνευστου, *prophetae vel apoſtoli ex inſpiratione loquentis*, ſatis accurate haud docebunt. Sic enim canon ad ſolos homines, excluſis angelis bonis, refertur, et dicta claſſica ſine cauſa

*) in Diſſert. theologica de Dictis Scripturae ſacrae probantibus §. XIIII. p. 22

causa restringuntur, et archetypis, non satis recte, includuntur limitibus. *)

§. VIII.

In Scriptura sacra non solum effata ipsius Dei, vel Christi, aut legati diuini ex instinctu et mandato diuino loquentis, occurrunt; sed aliorum etiam hominum, immo spiritus maligni, sermones interdum adducuntur, sicut cuilibet Scripturam sacram perlegenti patet. In bibliis sacris enim a viris ex inspiratione diuina scribentibus interdum referuntur effata hominis vel impii, vel pii sibimet ipsi tamen iam relicti et ex diuino instinctu aut mandato non loquentis, vel etiam spiritus maligni; sicut in aliis e contrario locis bibliorum sacrorum Deus ipse, vel Christus, aut angelus bonus vel homo ex instinctu aut mandato Dei, aliquid profert. Cum igitur effata omnia in bibliis sacris a scriptoribus sacris consignata vocari debeant *loca biblica;* haec iam in *loca diuina* et in *loca non-diuina* commode dispesci possunt. Illa nimirum loca biblica, in quibus effata Dei ipsius aut legati diuini ex instinctu aut mandato diuino loquentis referuntur, vocari possunt *loca diuina;* ista vero loca biblica, in quibus effata merae creaturae sibimet ipsi relictae nec ex instinctu aut mandato diuino loquentis adducuntur, *loca non-diuina* audiunt. Si quis igitur canonem in paragrapho praecedente allatum breuiori modo exprimere velit; recte omnino iam dicere potest: *dicta classica theologiae debent esse loca diuina.*

Schol. 1.

Discrimen hoc inter loca biblica diuina, et inter loca biblica non-diuina vt exemplis illustremus, notandum est, quod v. g.

Deus

*) Sic enim v. g. locus iste egregius et consolatione plenissimus Luc. II, 10. 11. ad probandam vniuersalitatem saluatoris hominum pro hac restrictione non amplius adhiberi posset.

Digitized by Google

Deus ſiſtatur loquens, ſiue referantur *effata Dei* Gen. I. 26. III, 15. VI, 13 ſq. VIII, 21. 22. IX, 1 ſq. XII, 1 ſq. XVII, 1 ſq. Exod. XXXIII, 1 ſq. *Effata Chriſti* Gen. XVIII, 17 ſq. Exod. III, 2. Matth. XIII, 15. V, 3 ſq. IX, 37. 38. X, 5 ſq. Ioh. III, 11 ſq. IV, 24 ſq. V, 19 ſq. Act. I, 7 ſq. *effata angeli boni* Gen. XIX, 15. 1 Reg. XIX, 5. Ieſ. VI, 2, Matth. I, 20. XXVIII, 5. 6. 7. Luc. 1, 28. 30 ſq. Act. V, 19 ſq. effata prophetarum Geneſ. XLIX, 1 ſq. Numer. XXIV, 17. Deuter. VI, 4 ſq. 2 Samuel XXIII, 2 ſq. Ieſ. I, 2 ſq. XI, 1 ſq. et *effata apoſtolorum* Act. 1, 16 ſq. II, 14 ſq. III, 12 ſq. IV, 8 ſq. &c. Quae omnia pertinent ad loca diuina. E contrario referuntur etiam v. g. *effata Abimelechi* Geneſ. XX, 9 ſq, *Pharaonis* Exod. V, 2. X, 16 ſq. *Sanheribi* Ieſ. XXXVI, 14, *cognatorum Iobi* Iob. IV, 1 ſq. *Petri* ſibimet ipſi relicti Matth. XVI, 22. *Spiritus maligni* Gen. III, 1 ſq. Matth. IV, 3 ſq. &c. quae omnia locis biblicis non-diuinis adnumeranda ſunt. *)

Schol. 2.

In locis non-diuinis effata merae creaturae ſine inſtinctu et mandato diuino loquentis, ideoque ab errore non liberae, continentur. Quatenus vero eiusmodi effata a viro θεοπνευστω ſunt relata, ideoque ad loca biblica generatim pertinent, eatenus recte aſſeritur, quod *relatio effatorum in locis non-diuinis obuiorum ſit diuina, effata ipſa autem ſiue res, vel argumentum, in his locis obuia non ſint diuina.* **) Hinc etiam eiusmodi effata locorum non-diui-

*) conf. Programma noſtrum, quod anno 1758. in 4. prodiit, ſub hoc titulo: De vſu diſcriminis inter loca biblica diuina et non-diuina etc. Exercitatio hermeneutica p. 5. ſeq.

**) Sic v. g. effata Eliphaſi, Bildadi, et Zophari, amicorum Iobi, ſibimet ipſis relictorum nec ex afflatu diuino loquentium, occurrunt Iob. IV, 2. ſq. VIII, 2. ſq. XI, 2 ſq. Licet itaque ipſe liber Iobi a viro ſacro ex inſpiratione diuina ſit conſignatus; non tamen verba amicorum iſtorum ſunt effata virorum ex inſtinctu et mandato Dei loquentium, quippe quae a Deo non adprobantur omnia, ſed ex parte potius vt falſa reiiciuntur Cap. XLII, 7. ſeq. Ergo relatio ſiue narratio ſermonum ab amicis Iobi prolatorum eſt diuina, res vero in illis ſermonibus contentae, ſiue effata ibi obuia, non ſunt diuina, ſed mere humana.

Digitized by Google

diuinorum interdum sunt plane falsa. *) Sed licet eiusmodi effata in locis non-diuinis obuia vel maxime etiam sint vera, eorumque veritas aliunde satis constet, ad probandam dogmatum exinde fluentium certitudinem adhiberi tamen non possunt, ideoque nec in dictorum classicorum theologiae numerum recipienda sunt. **) In locis diuinis contra continentur effata Dei, aut legati diuini ex instinctu et mandato diuino loquentis; ideoque effata locorum diuinorum sunt etiam diuina. Et quatenus loca diuina sunt etiam biblica, eatenus relatio siue narratio effatorum in locis diuinis obuiorum est quoque diuina. Ergo *in locis diuinis tam relatio effatorum, quam ipsa effata, siue res aut argumentum in illis obuia, sunt diuina;* ***) ideoque eiusmodi loca diuina in eligendis dictis classicis recte omnino admittuntur.

Schol. 3.

Ne quis forsitan obiiciat, canonis nostri veritatem per ipsa Christi et Apostolorum exempla infringi posse, quippe qui ad dogmata sua probanda merorum hominum effata adeoque loca non-

*) Sic v. g. effata in locis Iesaiae LIII, 4. in fine, Daniel III, 15 in fin. Gen. III. 4. Marc. III, 30. Ioh. VIII, 48. Act. XII, 22. XXIII. 8. obuia sunt omnino falsa. Suntque loca haec quidem omnia loca biblica, attamen loca biblica *non-diuina.*

**) Sic illud viri a Christo sanati assertum Ioh. IX, 31. *de precibus profanorum hominum non auditis*, verum omnino efficit dogma; veritatem autem dogmatis huius non ob testimonium viri illius ex instinctu et mandato diuino haud loquentis, sed ob alia potius certiora ipsius dei oracula, quibus prophetae referti sunt, agnoscimus. Ad probandum igitur hoc dogma in theologia non iste locus Iohanneus non-diuinus, sed alia loca diuina v. g. Iesaiae I, 15. Psalm LXVI, 18. Proverb. XV, 29. XXVIII, 9. Iob. XXVII, 9. tanquam dicta classica adducenda sunt. Simili modo illud assertum Cleophae Luc. XXIV, 19. aliorumque hominum Matth. XXI, 11. *de Christi dignitate prophetica* diiudicandum est. conf. D. Baumgarten in Diss. de Dictis S. S. probantibus §. XIV. et M. Büchnerus in praefatione ad Collegium biblicum §. 23. obs. I.

***) Sic v. g. Ioh. III, 16. est locus diuinus, quippe in quo Christus sistitur loquens, cuius verba apostolus ex inspiratione diuina scribens adducit. Ideoque relatio vel narratio verborum istorum est diuina, ipsaque etiam in illis contenta, res siue effata ibi obuia sunt etiam diuina,

Digitized by Google

diuina nonnunquam adduxiſſent; eiusmodi exemplum iam proferemus in medium et dubium ex illo formatum, ſimul remouebimus. Deſumtum eſt exemplum hocce ex Matth. XIX, 5. vbi Chriſtus Adami effatum pro defendenda atque probanda doctrina ſua matrimonium ſpectante adduxiſſe videtur. Si res autem rite perpendatur, doctor diuinus, noſter nimirum ſaluator, veritatem canonis noſtri non infringit, ſed confirmat potius eandem. Teſtimonium enim ex Geneſ. II, 24. adductum non conſiderat tanquam effatum Adami, ſed potius tanquam effatum Dei per Adamum ab ipſo prolatum. Ipſe vero Adamus rem illam omnino etiam ſciebat, ſiue per notitiam ex imagine diuina concreata ortam, ſiue per ſpecialem reuelationem diuinam iſtius rei cognitionem adeptus fuerit. *)

§. IX.

Quartum porro dictorum claſſicorum requiſitum eſt, vt *dictum claſſicum ſit certae et indubiae lectionis.* Laudanda quidem maximopere eſt diuina prouidentia, quae in magna diuerſarum lectionum varietate certitudini praecipuarum doctrinarum ſufficienti ita proſpexit, vt omnes ad fundamentum, ordinem, et media ſalutis pertinentes atque creditu neceſſariae doctrinae ex locis certis, indubiis, lectionis non ſollicitatae, aut de authentia ſuſpectae, ſatis luculenter probari queant: vbi tamen vel in eiusmodi etiam locis diuerſa occurrit lectio, aut authentia textus in aliis locis extra omnem dubitationis aleam non eſt poſita; veritas lectionis in dicto claſſico obuiae, ac textus authentia, praemittenda et rite demonſtranda eſt. Sicut enim nunquam de veritate effati cuiuslibet certi eſſe poſſumus, niſi et *materia* eius, ſiue principia, ex quibus illud deducitur, ſit rite conſtituta, et *forma*, ſiue

*) Conf. D. Baumgartenius l. c. §. XIV. in Schol. et M. Büchnerus l. c. §. 23. obſ. 2.

Digitized by Google

ſiue modus concludendi, ſit legitima; ita etiam de veritate dogmatis cuiusdam theologici, ex dictis claſſicis deducendi, nemo poteſt eſſe conuictus, niſi textum eorundem eſſe authenticum certo ſciat.

SCHOL.

Hoc dictorum claſſicorum criterium, eiusque neceſſitatem agnouit etiam SAM. FRID. ZICKLERUS, theologus Ienenſis, in introductione ad collegium biblicum, cuius inſcriptio germanica integra ſupra (§. IV.) eſt adducta; ſed mirati ſunt multi, quod applicationem eiusdem in ipſo collegio biblico vtplurimum omiſerit. Sic enim v. g. Part. I. p. 164. ſq. ad probandam theſin de pluralitate perſonarum diuinarum adduxit Ioh. I, 1. ſed lectionum varietatis ne verbulo quidem fecit mentionem; cum tamen vltima huius commatis verba modo alii καὶ Θεὸς ἦν τῶ λόγω, modo alii καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος legere malint. it. Part. II. p. 38 ſqq. ad probationem diuinitatis Ieſu Chriſti, redemtoris hominum, profertur dictum Roman. IX, 5. ſed nec de diuerſarum lectionum varietate aliquid monuit Vir S. venerabilis, nec textus authentiam demonſtrauit; cum tamen alii mox pro ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς legere velint ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς, alii mox verba huius commatis transponere, mox interpunctionis ſigna mutare ſtuduerint. Circa quod dictum conferri poſſunt, quae in noſtra germ. Bibliotheca Orientali et exegetic. P. I. p. 227. ſqq. et P. III. p. 232 ſqq. ſunt allata. Meliori modo egit vir laudatus, et ſuo ſatisfacere conatus eſt officio, circa dictum 1 Ioh. V. 7. P. 1. p. 191. ſqq. vbi ſcriptoribus ab illo nominatis addendi ſunt IOH. ALB. BENGELIUS in Apparat. critico ad N. Teſt. p. 745. et DAV. GODOFR. GERHARDUS in Dicto Ioanneo 1 Epiſt. V, 7. ab exceptionibus recentiſſimis ſummorum quorundam virorum modeſte vindicato Wratislauiae 1763. Et qui noſtra aetate recentiori hoc dicto in probanda Trinitate ſacra tuto volunt vti, ſimul attendere debent ad ea, quae IOH. DAVID MICHAELIS, philologus Goettingenſis in libro ſuo *Einleitung in die göttlichen Schriften des neuen Bundes, zweite und vermehrte*

Digitized by Google

Auflage, Part. II. p. 1762 -- 1816. et IOH. SAL. SEMLERUS, theologus Halensis, in scripto suo *Historische und kritische Sammlungen über die sogenannten Beweisstellen in der Dogmatik, Erstes Stück über 1 Ioh. V, 7, in 8. 1 Alph. 7 plag.* ad impugnandam authentiam illius in medium protulerunt.

§. X.

Quintum dictorum classicorum requisitum in eo consistit, *vt dictum classicum sit certae interpretationis.* Certa interpretatio dicti obtinet, vbi sensum dicti istius certo cognoscimus. Cum igitur per dicta classica dogmata theologiae praecipua certo euinci debeant (§ III.); eiusmodi dogmata vero ex illis dictis non certo euinci possint, quorum sensum certo non cognoscimus; dicta classica certae sint interpretationis necesse est.

SCHOL. 1.

Dicti cuiusdam plures interdum sensus sunt possibiles. Sicut igitur alias a posse ad esse non valet consequentia, ita ad certam etiam interpretationem dicti alicuius non sufficit, si quis ostendit, hunc vel illum sensum ab ipso admissum nec aliis veritatibus, nec aliis scripturae sacrae locis repugnare. Nihil enim exinde sequitur, nisi possibilitas sensus adsumti, a qua ad ipsam sensus istius certitudinem concludere haud licet. Ad certam interpretationem dicti requiritur, vt sensum dicti istius certo cognoscamus (§. X.); illud autem cognoscimus certo, quod ita cognoscimus, vt oppositum eius esse non posse perspiciamus: Ergo etiam ad certam interpretationem requiritur, vt talis adsumatur sensus, cuius oppositum esse non posse perspicimus.

SCHOL. 2.

Qui nouit, quid sit veritas hermeneutica, et quomodo ab illa differat veritas dogmatica; ex praecedentibus facile concludere poterit,

Digitized by Google

poterit, in dictis classicis a veritate dogmatica ad veritatem hermeneutiam non valere consequentiam. *Veritas* nimirum generatim spectata in conuenientia vnius cum altero ponitur, quia veritas generatim adesse dicitur, quando vnum alteri ita conformatur, vt hoc illi non repugnet. Iam vero repraesentare possumus nobis vel conuenientiam conceptuum nostrorum e terminis alterius erutorum cum mente auctoris; vel conuenientiam relationis siue narrationis alicuius rei cum re ipsa siue facto; vel conuenientiam asserti cuiusdam cum aliis veritatibus cognitis; vel conuenientiam effati cum seria voluntate et intentione loquentis; vel conuenientiam repraesentationum nostrarum de re quadam cum eadem: ideoque quinque veritatis species hac ratione adsumi poterunt, quarum prima veritas sensus siue veritas hermeneutica; secunda, veritas historica; tertia, veritas dogmatica; quarta, veritas moralis; et quinta, veritas logica, cognominantur. *Veritas hermeneutica* consistit itaque in conuenientia conceptuum e terminis alterius erutorum cum istius mente, et per *veritatem* dogmaticam conuenientia asserti cum aliis veritatibus cognitis intelligitur. Cum igitur exinde, quod sensus hic vel ille, ab aliquo adsumtus, nec aliis veritatibus, nec aliis scripturae sacrae locis non repugnet, ad sensus istius certitudinem concludere non liceat (per Schol. praeced.); *nec a veritate dogmatica ad veritatem hermeneuticam valet consequentia.* *) Vt rem exemplo illustrem. attendatur ad Eph. III, 19. vbi secundum versionem vulgarem asseritur, amorem nostrum erga Christum esse praestantiorem omni cognitione nostra, quod verissimum est dogma, et maxime proficuum; sed egregie falleretur, qui putaret, scriptorem sacrum verbis suis hoc dogma indicare voluisse, quippe qui potius de insigni Christi erga nos dilectione loquitur, qua ille nos prosecutus se in acerbissimam crucis mor-

*) Quod eodem etiam modo facile ostendi possit, a veritate historica, et a veritate morali, ad veritatem hermeneuticam non valere consequentiam, iam docui alibi, et varias alias regulas circa modum concludendi ab vna veritatis specie ad alteram, tam in locis biblicis diuinis quam non-diuinis, obseruandas suppeditaui in exercitat. hermeneut. de Vsu discriminis inter loca biblica diuina et non-diuina. §. V–IX.

mortem tradidit, et quae tanta est, vt omnem nostram cognitionem superet, nec omnibus intellectus nostri viribus comprehendi queat. *) Vbi igitur dictum quoddam certae interpretationis esse debet, ibi tam ex rationibus internis quam externis, in Hermeneutica sacra praescriptis, veritas sensus a nobis adsumti ostendenda est, et rationes, cur alii sensus admitti non possint, suppeditandae sunt.

§. XI.

Tandem etiam *nervo probandi*, si isto opus est, *stipatum sit dictum classicum*. Non vnius eiusdemque generis sunt dicta classica. In nonnullis enim rite explicatis dogma probandum ipsis verbis disertis exhibetur, in aliis autem dogma exinde demum deducendum est. **) Posteriorius huius generis dicta, si de nervo probandi eiusque necessitate sermo est, intelligimus, et ad negotium hocce occupauit se inprimis labor b. CALOVII nostri in apodixi articulorum fidei supra laudata. Quae autem ex eiusmodi dictis per pronam consequentiam deducuntur dogmata, aeque certa ac firma sunt, ac ista, quae

*) conf. D. SIGM. IAC. BAUMGARTENII *Ausführlicher Vortrag der bibliſchen Hermeneutic* p. 25. et 72.

**) Sic. v. g. dogma de baptismo infantum explicitis verbis in nullo dicto exhibetur, ex pluribus autem dictis recte illud deducitur, prouti inter alios ostendit IOH. MVSAEVS in Collegio controuersiarum Becano, Wendelino, Crellio aliisque Socinianis oppositio p. 529. sqq. vbi illuc refertur, Ioh. III. 5. *nisi quis natus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Hinc qui introire debent in regnum Dei, illi per baptismum renasci atque adeo baptizari debent. Sed infantes introire debent in regnum Dei. Ergo it. Act. II, 36. vbi Petrus Israelitas ad resipiscentiam et suscipiendum baptismum exitaturus, affert v. 39. rationem, petitam a promissione diuina, ipsis et liberis ipsorum facta: *resipiscite*, inquiens, *et baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus S. Vobis enim facta est promissio, et liberis vestris etc.* Quibus ergo facta est promissio, ad illos pertinet baptismus eiusque fructus, remissio peccatorum et donum Spiritus S, sed promissio facta est non adultis solum fidelibus, sed et illorum liberis. E. conf. *Calouius* l. c. p. 370 sqq.

Digitized by Google

quae totidem verbis in alio loco continentur. In hoc dogmata theologiae e codice sacro deducenda cum aliis omnibus cuiuscunque demum generis veritatibus conueniunt, de quibus omnino adsciritur, quod omnes, quae inde deriuantur et legitime illis nituntur propositiones, non minus certae sint, quam hoc suum fundamentum seu veritates, vnde fluunt. Et res ipsa exemplo Christi et apostolorum, quo nobis praeiuerunt, v. g. Matth. XXII, 29. etc. extra dubium ponitur.

SCHOLION.

Haud igitur adprobare possumus illorum sententiam, cui fauent Arminiani, secundum quam eae tantum doctrinae conceduntur fundamentales, quae totidem verbis in scriptura, immo nonnisi quae saepius in eadem, occurrunt. Nec audiendi sunt ecclesiae romanae addicti doctores, id nonnunquam vehementer vrgentes, et a nobis postulantes, vt omnia doctrinae nostrae momenta explicitis verbis scripturae confirmemus, et ab omni consequentia siue conclusione abstineamus. Quae disputandi eorum methodus dicitur *Veroniana*, a FRANCISCO VERONIO, qui eam quidem non primus inuenit, **) potissimum tamen defendere annisus est, et a fratribus WALLENBURCHIIS cognominata est methodus *augustiniana*; sed eorum sententiam refutauit praeter alios IOH. CONR. DANNHAVERVS in *Polemosophia* aliisque scriptis.

His praemissis ad id nunc accedo, cuius causa praesentem confeci exercitationem. Factum est nempe singulari numinis diuini moderamine et prouidentia, quam ab incunabulis mirabilem semper expertus sum, aeternumque summis laudi-

*) Conf. S. I. *Baumgartenius* in Dissert. cit. §. XVII. p. 25.

**) Conf. *Nic. Vedelius* in Rationali theologico Lib. I. Cap. 3. et 4. p. 21 sqq. *Io. Musaeus* de Vsu principiorum rationis lib. I. Cap. 23. p. 7 sqq. *Georg. Calixtus* in Digressione de arte noua §. 98. sqq. p. 227. sqq.

Digitized by Google

laudibus celebrabo, vt Sereniſſimus Saxoniae Dux et Elector, FRIDERICVS AVGVSTVS, Princeps et Dominus meus longe clementiſſimus me peregrinum, in eccleſia et academia Ienenſi hactenus docentem, Wittebergam euocaret, mihique in auguſta hac muſarum ſede diuiniorem ſcientiam publice docendi munus clementiſſime demandaret. Voluntatem Dei per Principem hunc Indulgentiſſimum declaratam animaduertens morem gerere mearum omnino partium eſſe duxi. Diuino itaque fretus auxilio munus hoc graue et amplum, praeter alia adhuc officia grauiſſima, ſubeo. Quod vt rite fiat, felicis auſpicii cauſa, poſt gratias ſupremo rerum moderatori peractas et imploratam ipſius opem, inſignem hanc Sereniſſimi Principis clementiam depraedicans pro perpetua SAXONICAE DOMVS ELECTORALIS ſalute, et fortunatiſſimo Vniuerſitatis huius ſtatu, pia mente vota nuncupare in animum induxi, praemiſſa oratione, quae *primum ſpecimen de ἀκριβείᾳ circa dicta claſſica theologiae, in articulo de ſcriptura ſacra, obſeruata* ſiſtet. Quam vt *Rector Academiae Magnificus, Perilluſtres Liberi Barones, Patres conſcripti, Fautores liberalis doctrinae reliqui, Generoſiſſimi* denique ac *Nobiliſſimi Academiae Ciues*, virtute ingenioque florentiſſimi, praeſentia ſua ornare, eo ipſo ſuam in me beneuolentiam ac humanitatem teſtatam facere, meque dicturum aequo animo et patienter audire velint, omni, qua decet, reuerentia et humanitate rogo. P. P. Dominica Palmarum A. S. R. MDCCLXXV.

Digitized by Google

EXERCITATIO II.

ORATIONEM DE INSPIRATIONE DIVINA AD SOLAM SCRIPTURAE S. MATERIAM NON COMMODE RESTRINGENDA EXHIBENS.

VBI SIMUL DICTUM CLASSICUM MATTH. X, 19. 20.

CONTRA CLERICUM ET VENERANDUM ZACHARIAE VINDICATUR.

Digitized by Google

Digitized by Google

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR!
GENEROSISSIMI LIBERI BARONES, VIRI SUMME VENERANDI, ILLUSTRES, CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, EXCELLENTISSIMI ATQUE AMPLISSIMI, DOCTISSIMI,
AUDITORES OMNIUM ORDINUM HONORATISSIMI!

In eo omnes omnium temporum theologi, et Doctores tam noſtrae eccleſiae quam aliis eccleſiis addicti, conuenerunt, Scripturam ſacram eſſe complexum librorum ex inſpiratione diuina conſignatorum; ſi ad indolem vero ac naturam inſpirationis diuinae reſpicere volumus, vt circa illam omnes vna eademque ducantur opinione, tantum abeſt, vt in diuerſas potius de re illa abeant partes. Et negari non poteſt, omni ferme tempore varias ratione indolis atque modi inſpirationis diuinae, ex qua codex ſacer eſt conſcriptus, motas eſſe quaeſtiones et dubitationes; ſicut vel maxime paucо abhinc tempore IO. THEOPHIL. TÖLLNERUS theologus Francofurtenſis vita iam functus ſuo docuit exemplo. *)

*) In libro german. qui inſcriptus eſt: *Die göttliche Eingebung der heili- gen Schrift untersucht von Joh. Gottlieb Töllnern*, 1771. in 8.

Digitized by Google

Mihi iam non est animus, omnem indagationem in tota doctrina de inspiratione Scripturae S. oratione mea exhauriendi, cui rei nec tempus hodie suppetit; sed de illo tantum mihi erit sermo, vtrum ad inspirationem, quam vocant, pertineat, quod Deus non tantum *materiam* Scripturae S. sed etiam *formam* eius scriptoribus sacris suppeditauerit, an vero materia Scripturae S. tantum sine suggestione verborum ad inspirationem sufficiat Et admissa priori sententia, ostendam simul, in pluribus eiusdem sententiae fautoribus circa probationem istius ex dictis Scripturae S. omnino desiderari ἀκρίβειαν, siue debitam diligentiam atque curam, in eligendis dictis classicis.

Enixe igitur, MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR, Patres conscripti maximopere colendi, et auditores ac ciues reliqui omnium ordinum honoratissimi, dilectissimi, oro vos, atque rogo omnibus, quibus fieri potest precibus, vt, qua soletis omnes veritatis diuinae et salutaris cultores beneuolentia amplecti, eam mihi quoque hisce de rebus hodie dicturo praestetis, vestraque meum conatum attentione beneuole adiuuetis.

Non enarrabo iam prolixe totam historiam dogmatis de inspiratione diuina, quia hac in re otium mihi fecerunt alii, in quorum numerum referendus est CHRIST. MATTH. PFAFFIUS *) CHRIST. LUPUS **) I. LAURENT MOSHEMIUS ***) et TÖLLNERUS, †) statim potius indicabo, me vtique ab eorum parte hactenus stetisse, qui non solum materiam sed etiam formam Scripturae S. ad inspirationem diuinam referunt. *Materia*

*) De formula consensus p. 22.

**) In Commentar. ad Tertullianum de praescriptionibus contra Haereticos C. IX. p. 240.

***) In Elementis Hermen. sacr. a M. Wewetzero Anno 1753. in 8. in lucem editis, P. I. p. 70. sq. itemque in Elementis Theol. dogmaticae a Christ. Ernesto de Windheim editis p. 111. sq.

†) in Introductione libro mox nominato praemissa, quam laudauit S. Ven. ERNESTI in nouissima biblioth. theol. Vol. II. P. I. p. 38.

Digitized by Google

teria nimirum sunt ipsae veritates, siue res litteris mandatae; ad *formam* autem referuntur stilus, vocabula, phrases et constructiones adhibitae. Minime tamen illos ecclesiae nostrae doctores, qui inspirationem diuinam ad materiam Scripturae S. tantum restringunt, erroris crassi aut heterodoxiae accusabo, si modo in explicanda sententia sua de sola materia Scripturae S. inspirata non ad Grotii, Socinianorum et Arminianorum, castra transeant. Probe enim est notandum, quod multos ignorare miror, ipsum b. LUTHERUM nostrum magnum, in nostra ecclesia huius sententiae esse auctorem, qui in nonnullis scriptorum suorum locis clare fatetur, Spiritum Sanctum modo materiam inspirasse; licet propositio haec: Materia Scripturae S. tantum est inspirata, ex mente b. LUTHERI, et eorum qui illum hac in re sequuntur, plane aliter intelligenda sit, quam homines ab ecclesia nostra euangelica alieni, eandem intelligunt, eademque eximie abutuntur. Res ita se habet: postquam magnus LUTHERUS noster sententiam illam amplexus erat, omnes ferme theologi ac doctores Seculi XVI. eandem retinuerunt. Quum autem Pontificii in defendendis erroribus suis sententia ista abuterentur, hoc vtentes argumento: si Spiritus S. materiam tantum inspirauit, fieri potuit, vt prophetae et apostoli in enunciando et scribendo errauerint, et satis luculenter propositiones et veritates a Spiritu S. ipsis immediate suppeditatas non proposuerint; et exinde porro concluderent, necessarium ergo est, vt praeter Scripturam S. aliud admittatur principium cognoscendi in rebus fidei; theologi nostri pristinam sententiam deseruerunt, et sub finem Seculi XVI. et sub initium Seculi XVII. vno quasi ore docuerunt, Scripturam Sacram non modo quoad materiam, sed etiam quoad formam, a Spiritu S. esse inspiratam. Haec sententia primo in Saxonia pro-

Digitized by Google

proferebatur, et deinceps per totam fere ecclesiam nostram vbiuis terrarum dilatata et recepta fuit. Non desunt quidem, qui pristinam illam de inspiratione ad materiam Scripturae S. restricta sententiam postea reuocarunt ad lucem, ad quos pertinent GEORG. CALIXTUS, CHRISTOPH. MATTHAEUS PFAFFIUS, multique recentiorum, de quibus SEMLERUM, IERUSALEMUM, MICHAELEM, HEILMANNUM et DANOVIUM *) nominasse sufficiat; sed nostra sententia, a tota ecclesia nostra vbique fere adprobata, palmam illi omnino praeripiet, quia maiorem saltem, si plus nondum affirmare volumus, probabilitatis gradum habet, quam illa; et tantis abusibus ac periculis non est obnoxia, quantis illa est concomitata.

Non repetam abusum Pontificiorum supra iam indicatum, sed addam modo alium apud Socinianos et Arminianos obuium. Hi nimirum inspirationem ad solam etiam materiam Scripturae S. restringentes asserunt, Deum generales quasdam veritates scriptoribus sacris suppeditasse, et simul plenam illis libertatem reliquisse veritates illas exprimendi, eloquendi, exornandi, et amplificandi, ex ingenio suo proprio. Comparant itaque librorum sacrorum scriptores θεοπνευστος cum iis, qui viro magno sunt ab epistolis, quosque vulgo cognominare solent secretarios, quibus eiusmodi viri suppeditant tantum propositiones quasdam generales, isti vero has verbis suis exprimunt, ornant, amplificant, et exarant. Pro hac igitur sententia Deus v. g. Paulo in consignanda epistola ad Romanos has duas modo propositiones generales suppeditauit: *Fides in Iesum Christum saluificat, Lex non saluificat;* et duas

*) Conf. MOSHEMIUS in Elementis herm. sacr. p. 74. IERUSALEM in libello, quem inscripsit: *Briefe über die Mosaischen Schriften und Philosophie.* MICHAELIS in compend. theologiae dogmatic. p. 30 sq. et DANOVIUS in Institutione theologiae dogmat. p. 52 seq.

Digitized by Google

duas haſce propoſitiones apoſtolus deinde ex ingenio ſuo explicabat, amplificabat, defendebat, et proponebat. In prioribus ergo vndecim capitibus epiſtolae ad Romanos ſcriptae paucae ſunt veritates ab ipſo ſpiritu ſancto profectae, reliqua vero omnia ibi contenta, cum altera huius epiſtolae parte practica, Paulo, eiusque ingenio proprio, ſunt adſcribenda. Quis vero iam negabit, Auditores beneuoli! ſententiam de inſpiratione librorum Sacr. ita intellectam eſſe maxime periculoſam, et ad ſacrae ſcripturae auctoritatem, adeoque etiam religionem ipſam labefactandam facillime adhiberi poſſe? Si enim Prophetae et Apoſtoli ſimiles ſunt eiusmodi ſecretariis virorum magnorum, errores facile committere potuerunt, adeoque etiam dubitari poteſt, num ſacra ſcriptura vnicum ſit principium theologiae et religionis. Haec itaque ſententia de ſola materia ſcripturae S. inſpirata cum maximo periculo ſacrae ſcripturae et religionis connexa eſt. Nonne igitur tutius et optime illi agere cenſendi ſunt, qui cum tota ferme eccleſia noſtra inſpirationem tam ad materiam, quam ad formam, ſcripturae S. extendunt? nec argumenta communiſſimae huic ſententiae oppoſita tanti ſunt ponderis, vt illam deſerere nos cogere potuerint; cum praecipue ex ipſis principiis ſanae rationis praeter ſcripturam S. noſtra haec ſententia iam illuſtrari et confirmari queat.

Proponamus nunc pace veſtra, et indicemus, Auditores! cuius ſint tenoris argumenta iſta. Primum, illudque, ex mente diſſentientium a nobis, grauiſſimum argumentum deſumtum eſt a diuerſitate ſtili in ſcriptoribus ſacris conſpicua. Si enim ſpiritus ſanctus, inquiunt, formam ſcripturae ſacrae in inſpiratione ſuppeditaſſet ſcriptoribus ſacris; ſtilus ſcripturae ſacrae vnus idemque eſſe deberet. Ideoque ſic

*) Conf. MOSHEMIUS in elementis theologiae dogmatic. p. 116. ſqq.

Digitized by Google

argumentantur: Oratio ſiue ſtilus ſemper adcommodatus eſt ad ingenium et indolem ſcribentium. Vbi igitur eſt diuerſitas ſtili, ibi etiam diuerſitas ingenii adſit neceſſe eſt. Iam ſubſumunt: in ſcriptura ſacra eſt diuerſitas ſtili, quod nemo ſcripturam illam legens vnquam negare poterit; et exinde concludunt, ergo in ſcriptura ſacra etiam eſt diuerſitas ingeniorum; ideoque Spiritus S. formam ſcripturae S. non inſpirauit. Sed ad hoc argumentum reſpondere poſſumus: non negamus diuerſitatem ſtili in libris diuinis obuiam, nec negamus, hanc ſtili diuerſitatem diuerſitati ingeniorum adſcribendam eſſe. Quando vero diſſentientes concludunt, ſi ergo in ſcriptura ſacra diuerſitas ingeniorum eſt, ſequitur, vt Spiritus S. formam ſcripturae S. non inſpirauerit; negamus conſequentiam: nam Spiritus ſanctus pro ſapientia ſua accommodauit inſpirationem ſuam ad ingenium ſcriptorum ſacrorum, et exinde diuerſitas ſtili in libris diuinis obuia diiudicanda eſt.

Alterum argumentum diſſentientium eo redit: verba et modos loquendi ſcriptoribus ſacris iam antea fuiſſe nota, ideoque ſine ratione a Deo in inſpiratione eſſent ſuggeſta. Sed reſpondemus, quamuis verba in ſe non fuerint incognita ſcriptoribus S. ante ſcriptionis actum, ſeriem tamen et ordinem, ad veritates ipſas recte exprimendas facientem, & voluntati diuinae conformem, ignorarunt. Vnde hoc reſpectu ſuggeſtio verborum neutiquam ſine ratione a Deo facta dici poteſt. Ideoque nec forma ſcripturae S. ab inſpiratione ſeparari debet.

Tandem etiam maioris momenti haud eſt tertium argumentum, quod diſſentientes ex dicto Paulino 2 Cor. XI, 6. deſumſerunt, vbi Paulus *in verbis ſe idiotam eſſe* dicit. Notandum enim eſt, quod apoſtolus id non abſolute et poſitive,

Digitized by Google

ve; sed ex hypothesi contumeliosa falsorum apostolorum dicat, prouti ex 2 Cor. X, 10. facile cognosci potest. Si enim absolute loquitur, clare e contrario testatur, Christum Spiritumque Sanctum per ipsum loqui, 1 Cor. II, 13. et 2 Cor. XIII, 3.

His igitur dubiis dissentientium remotis addamus etiam, pace vestra, Auditores! rationes philosophicas indubias, pro nostra sententia militantes. Ex hisce nimirum constat, quod omnis cognitio nostra vel intuitiua sit, vel symbolica. Intuitiua vocatur, in qua res ipsas nobis sine signis; symbolica vero, in qua res nobis per signa, quorum vsitatissima et vulgarissima sunt verba, repraesentamus. Cum igitur inde ab ineunte aetate sermoni assuefiamus, animae simul habitus res per signa vel verba potius, quam sine illis cognoscendi conciliatur; vnde, experientia teste, facillime per cognitionem symbolicam, per intuitiuam autem aegre, nisi crebra exercitatio praecesserit, res cognoscimus. Enim vero scriptorum sacrorum sine dubio par ratio fuit. Vnde facile conficitur, Deum, in suggerendis rebus & conceptibus earum, verbis simul, tanquam eorum signis, vsum esse, vt adeo res per verba suggesta sibi in mente repraesentauerint scriptores sacri. Quod cum ita se habeat, ratio ipsis non fuit, cur alia adhuc verba, ad conceptus suggestos literis exprimendos, quaererent; vnde iisdem potius vocabulis, quibus suggesti erant, consignarunt istos conceptus. Ex quibus omnibus tandem sequitur, non res tantum Scripturae S., sed ipsa quoque verba diuinae suggestioni originem suam debere. Ideoque inspiratio diuina tam ad materiam quam ad formam Scripturae S. erit extendenda.

Nec aliter sentiendum est, quando finem scripturae S. consideramus. In eo enim finis hic consistit, vt omnes homines

mines ad salutem per fidem in Christum obtinendam, eruditantur, adeoque certissimam, quaeue nulla ratione fallere possit, fidei atque vitae regulam habeant. Hic autem finis frustra scripturae S. propositus esset, nisi non tantum quae res, sed et qua verba, diuinitus esset inspirata. Si enim verba ab ipsis scriptoribus sacris tantum profecta essent; dubitari semper posset, an recte diuini Numinis sententiam expressserint, numue Deus id ipsum etiam velit, quod verba eorum insinuant? *)

Exposui iam satis, vt spero, Auditores! mentem meam de inspiratione diuina ad solam materiam scripturae sacrae non commode restringenda, quae mihi cum doctoribus ecclesiae nostrae non tantum omnibus est communis. Progrediar nunc, pace vestra, ad alteram orationis meae partem, in qua loca biblica sunt diiudicanda, quae ad probandam sententiam istam a doctoribus nostris sunt prolata, vt exinde appareat, vtrum ἀκρίβεια in eligendis dictis classicis probe obseruanda circa hanc rem etiam, de qua nobis sermo est, ab illis sit obseruata.

Magnus omnino cumulus et farrago dictorum biblicorum pro probanda hac sententia in systematibus et compendiis doctorum nostrorum deprehenditur, sed, quod ingenue fateor, plurima istorum non probant, quod probare debent, et propter requisita ad dictum classicum necessaria, dictorum classicorum nomine non sunt digna, ideoque ἀκρίβεια in eligendis dictis classicis probe obseruanda circa veritatem nostram ad articulum de scriptura S. pertinentem vtique desideratur. Nolo iam loca ista omnia recensere, sed ea potius addu-

*) Conf. I. FRANC. BUDDEUS in Institut. theol. dogmat. p. 90.

Digitized by Google

adducam tantum, quae in b. CALOVII noſtri Syſtemate locorum theologicorum Tom. I. p. 563. et in b. REINHARDI Inſtitutionibus theologiae dogmat. Lib. I. Cap. 2. §. 9. p. 50. quas in hac academia explicare ſolebat b. WEICKHMANNUS noſter cum honore ſemper mihi nominandus, ſunt obuia. Si enim loca ab vtroque horum doctorum adducta connumeramus, iam ſeptendecim adſunt dicta biblica, ſcilicet Exod. IV, 12. 15. XXXIV, 27. 28. 2 Sam. XXIII, 2. Ieſ. LI, 16. LIX, 21. Ierem. I, 6. 9. XXX, 1. XXXVI, 2. Pſalm XLV, 2. Math. V, 18. X, 19. 20. Luc. XVI, 17. XXI, 14. 15. Rom. III, 2. 1 Corinth. II, 12. 2 Tim. III, 16. 2 Petr. I, 21.

In his dictis delectus vtique eſt inſtituendus, ideoque laudem meretur ipſe CALOVIUS noſter, quando in *Apodixi articulor. fidei*, p. 29. ſq. omiſſis reliquis dictis tria tantum retinuit, et neruum probandi in illis oſtendit, ſcil. 2 Tim. 3, 16. 2 Petr. 1, 20. 21. 1 Cor. 2, 12. 13. Laudandus eſt etiam REINHARDUS, qui multis locis biblic. adductis tandem addit: „Euidentiſſima tamen eſt ſancta ſeruatoris promiſſio, quae exſtat Matth. X, 19. 20. vbi τί reſpicit materiale ſeu *res*, πῶς reſpicit formale ſeu *verba*. Si autem verba *loquentium* doctorum eccleſiae ſunt verba ipſius Spiritus S.; quanto magis verba *ſcribentium* Spiritui S. vindicanda erunt? Quae enim ſcripſerunt, in eccleſiae vniuerſae omnium temporum commodum atque emolumentum protulerunt litterisque conſignarunt.“ Totum dictum ita ſonat: Ὅταν δὲ παραδιδῶσιν ὑμᾶς, μὴ μεριμνήσητε πῶς ἢ τί λαλήσητε. δοθήσεται γὰρ ὑμῖν ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ τί λαλήσετε. Οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστε οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν. *Cum autem ſiſtent vos* (ſcilicet coram principibus atque regibus) *ne ſolliciti eſtote, quomodo aut quid loquamini ſitis; dabitur enim vobis in*

hora illa, quid loqui debeatis. Non enim vos eritis, qui loquemini, sed spiritus patris vestri est, qui loquetur in vobis. Hoc dictum nunc paulo accuratius considerabimus, ne quis forsitan obiectionibus a CLERICO, et recentissima aetate nostraa Göttingensium, nunc Kielensium, Doctore celeb., qui ZACHARIAE nomen habet, prolatis commoueatur, et occasionem nanciscatur, dictum nostrum sine ratione sufficiente derelinquendi, et ex classicorum numero extinguendi. Agitur in hoc dicto, prout omnes consentiunt, de orationibus apostolorum coram iudiciis ethnicorum, et aperte pollicetur Iesus Christus apostolis suis, Spiritum S et materiam et formam orationum coram iudicio ethnicorum habendarum, illis suppeditaturum et inspiraturum esse. Vocabulum Graecum πῶς optime refertur ad formam orationum, et τι de materia illarum intelligitur. Ad omnem enim sermonem et orationem duo haec momenta requiruntur necessario, vt primo isti, qui loqui et sermonem instituere vult et debet, adsint res, quas proponat, deinde vt calleat iste modum proponendi, siue verba, quibus res illas proponat et apte exprimat. Haec igitur duo momenta in omni sermone necessaria Christum etiam in promissione sua de assistentia spiritus S. in sermonibus ab apostolis coram iudicio ethnicorum habendis, polliceri statuendum est. Cumque in hac Christi promissione apostolis data prius duorum istorum vocabulorum, τι et πως, res proponendas, ex omnium consensu indicet, posterius illorum, scil. πως vi oppositionis de modo proponendi, siue de verbis, quibus res illae proponuntur, recte omnino intelligitur.

Asseritur ergo in hoc dicto, quod Spiritus S. apostolis coram iudicio ethnicorum constitutis omnia, tam res quam verba, suppeditaturus sit; nosque concedimus lubentissime, in hoc dicto non immediate de Scriptura Sacra

ſed potius de orationibus apoſtolorum coram iudicibus ethnicis ſermonem eſſe. Exinde vero doctores noſtri, argumento a minori ad maius utentes, recte concludunt: Si ſpiritus S. formam et materiam loquendi coram iudiciis ethnicorum apoſtolis ſuggeſſit, multo magis et formam et materiam illis ſuppeditare debuit in conficiendo illo libro, ex quo omnes veritates ad ſalutem hominum neceſſariae hauriuntur. Tamdiu enim haec concluſio noſtram ſententiam de inſpiratione ſcripturae S. exprimens erit firma, quamdiu modum concludendi a minori ad maius non amplius valere, haud oſtendetur. Et non eſt, quod excipiat aliquis, hanc Spiritus Sancti aſſiſtentiam, tam materiam quam formam loquendi inuoluentem, apoſtolis tum demum eſſe promiſſam, cum ad tribunal abreptis euangelii cauſa agenda eſſet; nec inde ſequi, rem ita ſe etiam habuiſſe, cum aliquid litteris conſignarent. Longe enim maioris momenti omnino erat ſcriptio illa, qua, vt totius orbis doctores, non praeſentem modo, ſed futuram aetatem, adeoque omnes huius vniuerſi homines de rebus maximi momenti, ad ſalutem quippe aeternam ſpectantibus, erudiebant. Quo dum fungebantur officio, longe magis adhuc neceſſarium erat, vt extra omne erroris periculum, qua res ipſas, qua verba, conſtituti eſſent, quam cum coram iudicibus aut ſuam, aut euangelii cauſſam, agerent. Rectiſſime itaque colligimus: ſi ſpiritus S. apoſtolis, coram iudicibus conſtitutis, omnia, etiam ipſa verba ſuggeſſit, multo magis idem feciſſe cenſendus eſt, quando ad orbem vniuerſum ſcriptis erudiendum ſeſe accingebant.

Ut eo magis autem rectis ſtet talis noſtra de inſpiratione ſcripturae S. ex hoc effato Chriſti deducta ſententia, nec dictum hocce a REINHARDO laudatum et pro euidentiſſimo omnium declaratum, auctoritate ac dignitate dicti claſſici priuetur;

uetur; remouebimus simul obiectiones CLERICI *) et ZACHARIAE **) tanquam argutias, maleferiatam humani ingenii subtilitatem tantum ostendentes. Quod igitur attinet ad Clericum, duobus argumentis nostram infringere studuit sententiam. Primo enim ex mente Clerici, non agitur in dicto nostro de perpetua quadam Spiritus S. assistentia, aut inspiratione apostolis facta, sed certo solum casu, quando ad praesides et reges ducendi essent, Christi causa, id quod docerent verba v. 19. ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ. Si autem id voluisset Christus, quod nos putaremus, non vetuisset sollicitos esse de eo, quod dicturi sint coram tribunalibus, eo quod tunc iis dicenda suggesturus sit Spiritus; sed dixisset, nunquam vos deficiet sermo, quum perpetuum ducem ac dictatorem habituri sitis Spiritum. Quando quis certa enim occasione particulariter aliquid promittit, euidenter docet, se id nolle effectum dare aliis occasionibus. Ad quam Clerici obiectionem responderi potest: In aprico est ratio, cur Christus apostolis tum potissimum spiritus sui assistentiam addixerit, quando causam Euangelii agendam habebant apud principes ac iudices, vitae necisque arbitros, quia tunc hominibus, etiam constantissimis, oratoribus, etiam disertissimis, exsternari mens solet. Vt vero hic excludatur perpetua Spiritus S. assistentia et inspiratio, tantum abest, vt confirmetur potius validissime. Si enim ne tunc quidem solliciti esse debuerint, ne destitueret eos cum spiritu sermo, quando vincti, caesi, praedamnati, ab iracundis iudicum oculis et more, mortem ipsam in momento exspectabant; quanto securiores esse potuerunt de facili ac plana rerum diuinarum explicatione, vbi sine eo metu verba ad

*) siue Auctoris *Crisios in historiam criticam Simonis*, conf. HERMANNI WITSII Miscellanea sacra Lib. I. Cap. XXII. §. VII. et sqq.

**) conf. p. GOTTHILF TRAUGOTT ZACHARIAE *Biblische Theologie* P. I. p. 73. sq. 101 sq.

Digitized by Google

ad populum facienda erant? Sic v. g. Ieremiae promittebat ſpeciatim Deus, Ier. 1, 17. 18. 19. ſe ipſi adfore aduerſus reges, principes, ac ſacerdotes Iudae; quis vero credet vnquam, Deum his verbis indicare, ſe non ſimiliter eidem adfore aduerſus alios hoſtes. Optimus igitur Saluator in dicto noſtro apoſtolis ſuis innuere voluit: non ſolum ſecuris vobis eſſe licet, in ordinario functionis veſtrae curriculo, ſed ne tunc quidem aſſiſtentiam et inſpirationem Spiritus deſiderabitis, vbi omnia deſtituere vel cordatiſſimos ſolent.

Secundo Clericus Spiritum S. ad apoſtolos locuturum interpretatur in dicto noſtro de ſancta animi diſpoſitione, vt ſenſus eſſet: „Spiritus virtutis et ſanctitatis, quem euangelium producit in cordibus, ſiue fortis illa ac pia mentis diſpoſitio, quam coeleſtis doctrina ingenerat, faciet, vt nunquam vobis deſint verba, etiamſi vel coram rerum dominis timendisque tyrannis habendus ſermo ſit. Nam uti ſpiritus ſoporis, ſpiritus timoris, ſpiritus fortitudinis, ſic et Spiritus S. aut Spiritus Dei, quandam animi habitudinem notant.“ Sed reſpondemus: Falſiſſimum eſt, quod Spiritus S. ſanctam animi diſpoſitionem notet. Vt enim a propria et litterali vocis ſignificatione diſcedamus, non tantum nulla nos cogit neceſſitas, ſed quo minus id facere liceat, graviſſimae obſtant rationes. Spiritus enim ille, qui in apoſtolis loqui debebat, non ipſorum apoſtolorum ſpiritus aut animus vocatur, ſed *πνευμα τȣ πατρος ſpiritus patris.* Diſtinguitur ergo ſpiritus, de quo loquitur Chriſtus in dicto noſtro, ab apoſtolorum diſpoſitione propriaque aptitudine, dum dicit: *non vos eſtis qui loquemini, ſed ſpiritus patris eſt, qui in vobis loquetur.* An homini loquenti opponi poteſt ipſius ad loquendum aptitudo? Et quis verborum ſenſus eſt, non tam vos eſtis,

Digitized by Google

qui loquimini, quam ſancta illa animi veſtri diſpoſitio, quam ingenerat Euangelium? Denique de illo hic Spiritu agitur quem, ſibi veluti vicarium, promiſit Chriſtus. Quod de animi diſpoſitione exponere, omnis ratio vetat. Neque usquam locorum Spiritus Dei aut patris, meram animi noſtri habitudinem ſignificat. Detur Clerico, quod ſpiritus ſoporis, ſpiritus timoris, ſpiritus fortitudinis, notet talem animi diſpoſitionem, cuius effectus ſit ſopor, timor, fortitudo. Quid id commune habet cum ſpiritu patris, et ſpiritu Dei? Numquid is ſignificabit eam diſpoſitionem animi, quae patrem vel Deum faciat? Ita enim fieri oportet, ſi quae phraſibus futura ſit ſimilitudo.

Sicut vero Clericus, contra quem hactenus diſputavimus, in eo valde errauit, quod vocabulo Spiritus inuſitatum plane et nunquam admittendum ſignificatum tribuerit; ita nec laudandus eſt ZACHARIAS celeberrimus, qui facillimum eumque maxime naturalem ſignificatum vocabulorum τι et πως relinquit, et aliorſum eadem retorquet. Secundum theologi huius ſententiam nulla prorſus adeſt ratio, cur duo iſta vocabula τι et πως de verbis et rebus ad orationem omnem pertinentibus intelligantur, ſed ad maius modo pondus promiſſioni Chriſti dandum iſta ab illo ſunt adhibita. Reſpondemus autem, primo rationem huius rei ex ipſa ſermonis natura ſupra ſuppeditavimus, quam iam non repetam; deinde etiam maius promiſſioni Chriſti pondus per hoc ipſum additur, quod Chriſtus in promiſſione ſua de aſſiſtentia Spiritus S. in ſermonibus ab apoſtolis coram judicio ethnicorum habendis duo momenta in omni ſermone neceſſaria, ſcil. tam res quam verba, quibus illae commode poſſunt exprimi, polliceatur. Ad aliam vero plane diuerſam

rem

Digitized by Google

rem duo noſtra vocabula refert ZACHARIAS, atque τι et πως de ſapientia et parrheſia apoſtolis a Chriſto promiſſa intelligit, vt ſenſus dicti ex mente huius viri eſſet: Chriſtus adhortatur apoſtolos, vt de ſapientia et fortitudine animi in orationibus coram iudicio ethnicorum habendis neceſſaria non ſint ſolliciti, quippe quam Spiritus S. iſto tempore illis eſſet ſuppeditaturus. Allegat Ven. Doctor loca parallela, et exinde quadruplici modo nouae ſuae interpretationi colores obducere ſtudet; ſed errauit haud parum vir celeberrimus, et regulam primariam eamque notiſſimam de Paralleliſmo, egregio interpretationis adminiculo, plane neglexit. Haec enim poſtulat, vt loca obſcuriora et incompleta ex clarioribus et completis illuſtrentur. Quis ergo negabit, ZACHARIAM paralleliſmo eſſe abuſum, dum aliquid huic regulae plane repugnans et oppoſitum admiſit, et locum clarum et completum per loca incompleta et obſcuriora obſcurare conatus eſt? Audiamus enim ZACHARIAM iſtum, eiusque rationes nihil plane probantes, Auditores! ne illi eiusque interpretationi coactae iniuriam feciſſe cuidam forſitan videar. Prima eius ratio eſt: in loco parallelo Marc. XIII, 11. non legitur πως ἢ τι, ſed tantum τι. Sed quid inde? Qualis concludendi modus hic eſt: quia in loco Matthaei legitur πῶς ἢ τι, in loco Marci autem tantum τι; vocabula iſta duo in Matth. vnum idemque ſignificare debent? aut: ideoque πως non ad modum proponendi res ſiue ad verba, quibus illae res exprimuntur, et τι ad res ipſas referri poteſt? Ego certe nullam video conſequentiam. Ita potius ope paralleliſmi iudicandum eſt: Matthaei locus eſt completus, et Marci locus incompletus. Ergo locus Marci ex Matthaeo eſt explicandus, non autem locus Matthaei ex Marco eſt mutilandus. Secunda ZACHARIAE ratio eſt: Matth. X, 19. eadem res, quae

Digitized by Google

antea per τι et πως exprimebatur, mox in eodem commate tantum per τι indicatur. Sed reſpondemus: Exinde iterum inferri non poteſt, quod τὶ et πῶς vnum idemque ſignificent. Et nonne ex quam plurimis aliis Scripturae locis notum eſt, quod ex illo, quod ſemel complete dictum eſt, alterum ellyptice dictum explicandum ſit? Tertia ZACHARIAE ratio eſt: Luc. XII, 11. loco duarum particularum τι et πως duo verba apparent τι ἀπολογησηθε et τι εἰπητε. Sed reſpondemus: haec duo verba illuſtrant verbum λαλειν, vt determinetur aſſiſtentia Spiritus S. apoſtolis in loquendo promiſſa, ſiue apologia inſtituenda ſit pro ipſis, ſiue doctrina Euangelii ſit exponenda; illud vero falſiſſimum eſt, quod haec duo verba loco particularum τι et πως ſint poſita. Nam vtraque particula etiam in hoc dicto Lucae apparet, tam in ipſo textu graeco μη μεριμνατε πως ἢ τι ἀπολογησηθε ἢ τι εἰπητε, quam in antiquiſſima verſione Syriaca ܡܕ̈ܡ and ܡܢ. Quarta tandem ZACHARIAE ratio eſt: Promiſſio in loco parallelo Luc. XXI, 15. obuia eadem plane eſt ac iſta promiſſio, quae in Matthaeo datur, et loco τι et πως tantum ponitur ϛομα και σοφια. Ergo etiam vocabula πως et τι in Matthaeo de parrheſia et ſapientia loquendi ſunt intelligenda. Sed reſpondemus: quilibet, credo, ſtatim concedet, quod ϛομα (ſ. *os*) non ſumi poſſit proprie, et quod σοφια (ſ. *ſapientia*) varie a variis in hoc dicto explicetur. Ideoque Lucae locus eſt obſcurior, et Matthaei locus eſt clarior. Ergo clariori loco Matthaei non ſunt obducendae tenebrae ex Luca, ſed Lucae locus obſcurior ex Matthaeo potius eſt illuſtrandus et explicandus. Commode igitur ϛομα ſicut τι ad ipſum ſermonem et res in illo proponendas, σοφια autem ſicut πως ad modum loquendi et verba, quibus res apte exprimuntur et proponuntur, referri poſſunt et debent.

Sed

Digitized by Google

Sed dentur ZACHARIAE omnia; detur, quod τι et πως ad rem ipsam plane nihil conferant, et emphaseos causa tantum promissioni apostolis a Christo factae sint addita; detur, quod inter τι et πως nullum plane sit discrimen; detur, quod locus clarior postponendus sit obscuriori; detur, quod τι et πως in dicto nostro parrhesiam et sapientiam loquendi, non autem res et verba, in dicto nostro respiciant; res tamen nostra de verbis etiam apostolis in inspiratione suppeditatis manet integra. Nam hoc tamen ZACHARIAS negare non potest, quod satis clare in dicto nostro doceatur; *suggeretur vobis, quid loquamini*, item *spiritus patris vestri*, s. Spiritus sanctus *in vobis loquetur*. Cum igitur ad τὸ *loqui*, siue ad sermonem omnem tam res proponendae, quam verba, quibus res illae proponuntur et exprimuntur, pertineant; Spiritus S. non res saltem, sed verba ipsa apostolis suggessit. Et hoc iam sufficit ad probationem sententiae doctorum nostrorum ex hoc dicto deductae instituendam.

Eodem modo Calouii nostri interpretationem circa aliud dictum, 2 Tim. III, 16. confirmare et contra insultus Grotii, Zachariae et aliorum nouaturientium defendere mihi proposueram animo; sed quia tempus praeter opinionem meam praeter lapsum est, alia occasione litteris vobisum, Auditores! communicabo meditata mea, ne attentio vestra, hilari animo a me celebranda, hac vice defatigetur.

Vnicum igitur adhuc, quod restat, addam. Videtis ex iis, quae hactenus dixi, MAGNIFICE RECTOR, MAGISTRI, DOCTORES, et PROFESSORES ACADEMIAE huius longe celeberrimi, quo animo erga puriorem ecclesiae nostrae doctri-

ctrinam fini affectus, et quanti habeam ἀνεμβεσιν in dictis classicis theologiae obseruandam. Nec certe luditur de re parui momenti, quando dicta classica illa in censum veniunt; Sed omissa ista in periculum iniicitur uniuersa religio christiana per magnum nostrum Lutherum, doctorem huius vniuersitatis olim principem, repurgata. Si enim id obtinebunt tecti Naturalismi et Socinianismi fautores, in ecclesia euangelica hic et illic latentes, vt dicta classica theologiae illis pro lubitu suo diripienda dentur a theologis nostris, de tota nostra religione reuelata facile actum erit. Vos igitur, Patres conscripti pie deuerandi! rogo atque obsecro, vt conatibus meis faueatis, meoque pro aeterna Dei veritate nobis reuelata studio, vestra auctoritate et beneuolentia, vestoque auxilio succurratis.

Accidit enim diuina prouidentia et Sereniſſimi Electoris Saxoniae iussu, vestraque voluntate erga me beneuola, vt publicum sanctioris doctrinae ingenue tradendae tuendaeque munus in posterum in hac academia gererem. Veniam ad Vos, postquam per triginta annorum spatium magister, adiunctus et professor philosophiae tandemque doctor et professor theologiae in academia Ienensi, Uniuersatis nostrae filia, docui, et quanto doctrinae verae puriorisque amore, ex parte Vobis hodie exposui. Vestrum iam erit, vt me cum meis proxime aduenturum beneuole excipiatis, me adiuuetis, me excitetis, meque eo complectamini amore, quo dignum me esse putabitis. Me viciſſim habebitis, et adiuuante Deo per totam vitam meam, quae restat, experiemini ad quaeuis officiorum genera promtissimum atque paratissimum. Tuus autem, ornatissima iuuenum corona, ego totus ero. Vobis, optimi commilitones, vt in

fideli

Digitized by Google

fideli verbi diuini et veritatis coeleſtis ſtudio perficiamini, laborabo, et Vobis inſeruiendo lubentiſſime inſumar.

Quod' vero praecipuum eſt, Tibi Deus ter O. M. conſeruator et moderator omnium rerum ſapientiſſime, animum offerro deuotum, et gratiarum plenum, pro omnibus mihi praeſtitis, non enarrandis beneficiis. Te, Numen ſupremum! tuamque prouidentiam, quam in demandando mihi munere, ad promouendam tuam gloriam cum primis apto, mihi luculenter demonſtrati, demiſſa mente celebro, laudibusque, quantum in me eſt, efferro, quod me muneribus ſacris, quibus adhuc Ienae praefui, ornare, et nunc nouo eoque maximo condecorare, pro tua erga ſeruum tuum gratia, volueris. Vtinam mihi contingeret, hoc ſacrum munus non ſolum adminiſtrare, ſed et ornare! Memor meae infirmitatis, tua autem, Deus benigniſſime, potentia et vocatione confiſus, munus nouum auſpicabor. Fac, ut omnia cedant ex ſententia ac feciliter.

Benedicas Sereniſſimo noſtro Principi, Electori Saxoniae, cuius iuſſu ac mandato clementiſſimo munus hoc mihi impoſitum eſt. Conſerues clementiſſimum hunc Principem noſtrum per longum adhuc annorum ſeriem ſaluum atque incolumem, eundemque omnibus felicitatis generibus adornes.

Benedicas Sereniſſimae eius Coniugi ac Matri, et toti celſiſſimae electorali domui Saxonicae.

Benedicas omnibus, qui Summo Principi ſunt a conſiliis, magnis illis ac illuſtribus eccleſiae noſtrae Curatoribus et Columnis.

Bene-

Digitized by Google

Benedicas Vniuerſae Saxoniae et eccleſiae noſtrae euangelico-lutheranae.

Benedicas inprimis huic celeberrimae Muſarum ſedi, Vniuerſitati noſtrae celeberrimae. Benedicas magnifico eius capiti, omnibusque eiusdem patribus conſcriptis ac ciuibus. Benedicas huic vrbi et eius incolis. Benedicas nobis omnibus Domine ex alto, ut fructum faciamus multum atque copioſum per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum!

Digitized by Google

EXERCITATIO III.

LECTIONEM PUBLICAM
DE LOGOMACHIIS
CIRCA
DOCTRINAM DE PECCATO
IN SPIRITUM S. OBVIIS
EX DICTIS CLASSICIS
HUIUS DOCTRINAE OPTIME DIRIMENDIS

SISTENS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Per gratiam Dei, quae ſumma eſt, iam agimus vitam *Commilitones optimi!* in diebus illis, qui propter paſſiones et mortem pro nobis et peccatis noſtris a ſeruatore noſtro I. C. ſuſceptas, nobis ſunt notatu digniſſimi, proficui atque ſaluberrimi. Et noſtrarum omnino eſſe partium, duco, auditores omnium ordinum honoratiſſimi, vt dies hoſce ſacros inſumamus variis meditationibus piis de morte iſta domini et redemtoris noſtri acerbiſſima, et rebus cum illa connexis. Ad hanc mortem tradiderunt Saluatorem noſtrum Phariſaei et ſcribae in populo Judaico, inuidia, inimicitia, malitia et odio erga illum ducti. Sunt itaque haud pauci noſtratium, qui ideo antiſtites illos Judaeorum peccatum in Spiritum ſanctum commiſiſſe putarunt. Sicut vero hoc aliaque momenta in ardua de peccato in Spiritum ſanctum doctrina, vna cum variis aliis controuerſiis et quaeſtionibus circa hanc materiam prolatis, ſic dictis Logomachiis adnumerandam eſſe mihi videntur; ita operae pretium forſitan erit, vt vera notio peccati in Spiritum ſanctum, ex qua omnes iſtae quaeſtiones et controuerſiae diiudicandae ſunt, ex dictis claſſicis huc pertinentibus determinetur, et noua toti iſti de Peccato in Spiritum S. doctrinae accendatur lux.

Liceat igitur *Auditores!* tentamen hac in re hodie facere, quantum quidem per temporis breuitatem fieri poterit. Elegi enim hanc materiam propterea, vt hic labor noſter

Digitized by Google

ſter qualiscunque vobis veluti exemplo eſſet, ex quo de noſtra in tradendis veritatibus theologicis difficilioribus methodo et induſtria iudicare quodammodo poſſetis. Fauete igitur inſtituto noſtro, et beneuolas nobis iam praebete aures! Ex mea quidem ſententia omnia, quae de peccato in Spiritum S. tradi atque moneri poterunt, ad quatuor momenta ordinis cauſa commode poſſunt redigi. *Primo* nimirum praemittenda eſt narratio hiſtorica diuerſarum, earumque praecipuarum, de peccato in Spiritum S. definitionum ſiue ſententiarum; *deinde* vera notio iſtius peccati determinanda, et ex dictis claſſicis Scripturae S. huc ſpectantibus eruenda atque probanda eſt; *tertio* aliorum notiones diiudicandae et ex certis rationibus remouendae ſunt; et *quarto* tandem variae circa hoc peccatum ventilatae quaeſtiones ita proponendae ſunt, vt exinde cognoſci queat, iſtas omnino abire in Logomáchias; ad quas refero: an peccatum contra Spiritum ſanctum hodie adhuc committi queat? an et quare peccatum hoc ſit plane irremiſſibile? vtrum impoenitentia et ἀπιστία finalis, itemque reiectio omnium mediorum gratiae tanquam formale peccati in Spiritum S. conſiderari debeat? vtrum aſſerri poſſit, peccatum in Spirit S. ante mortem iam eſſe conſummatum?

Quod igitur ad primum attinet momentum, ſex diuerſas potiores ſententias recenſebo. Sunt nimirum, qui putant

1) Peccatum in Spiritum S. in eo conſiſtere, vt eſſentia diuina aut ὑποστασις ſiue perſonalitas Spiritus S. negetur. Sunt alii, qui putant

2) Peccatum in Spiritum S. in eo conſiſtere, vt aliquis veritates verbi diuini a Spiritu S. inſpirati reiiciat atque neget. Hinc determinatione a quibusdam addita dicitur: Peccatum in Spiritum S. eſt veritatis euangelicae agnitae

Digitized by Google

agnitae, et in conſcientia adprobatae libere facta abnegatio, impugnatio et blasphematio finalis. Sunt porro alii, qui putant.

3) Peccatum in Spiritum Sanctum contra officium Spiritus S. eſſe directum, et in eo conſiſtere, vt aliquis officio aut operationibus Spiritus S. ad conuerſionem eius tendentibus malitioſe, pertinaciter et continuo reſiſtat. Deinde ſunt alii, qui putant

4) Peccatum in Spiritum Sanctum eo redire, vt aliquis veram diuinitatem Chriſti neget. Sunt etiam alii, qui putant.

5) Peccatum in Spiritum Sanctum in eo conſiſtere, vt aliquis miracula Chriſti ex diuina eius vi non eſſe patrata aſſerat, eademque conuiciis proſcindat. Sunt tandem alii, quibus

6) Peccatum in Spiritum S. eſt illud, quod contra motiua non peccandi, a Deo immediate et miraculoſe ſuppeditata, committitur.

Adductis nunc aliorum de Peccato in Spiritum S. ſententiis, ad ſecundum progrediemur momentum, et ipſam huius peccati naturam ac indolem veram ex dictis claſſicis ad peccatum in Spiritum S pertinentibus inquiremus et determinabimus. Tria adſunt dicta in ſcriptoribus ſacris, qui Euangeliſtarum nomine veniunt, quae explicite et absque vllo dubio de hoc peccato in Spiritum S. κατ' ἐξοχην agunt. Matth. XII, 31. 32. Marc. III, 28. 29. Luc. XII, 10. *In primo loco* dicitur: Omne peccatum ſeu blasphemia remittetur hominibus: Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur

Digitized by Google

ei; qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei, neque in ſeculo hoc, neque in futuro. *In altero loco* Marci legimus: Amen dico vobis, quod omnia remittantur peccata filiis hominum, et blasphemiae, quascunque blasphemauerint. Qui autem blasphemauerit in Spiritum S. non habet remiſſionem in aeternum, ſed obnoxius eſt aeterni iudicii; quod dicebant: Spiritum immundum habet. *In tertio loco* Lucae ſcribitur: Quisquis locutus fuerit aduerſus filium hominis, ei remittetur; ei vero, qui aduerſus Spiritum S. blasphemauerit, non remittetur. Recte iam incedemus, ſi ex his verbis Chriſti in omnibus tribus locis obuiis veram notionem de peccato in Spiritum S. via abſtractionis indagabimus et formabimus. Quod vt eo melius ſuccedat, occaſionem ſermonis iſtius a Seruatore inſtituti, haud perfunctorie obſeruandam exiſtimo. Ediderat Seruator magnum miraculum in homine muto et coeco, quem eiecto, per vim diuinam, quae alias vis Spiritus S. cognominatur eidemque inprimis tribuitur, daemonio ſanauit, ſicut ex praecedentibus patet, (Matth XII, 22. Marc. III, 10. Luc. XI, 14.) Cum igitur populus, viſo hoc miraculo, Dei laudes celebraret, dicendo: numquid hic eſt filius Dauidis? Phariſaei inuidia ac malitia accenſi ipſum miraculum calumniabantur, et actionem iſtam, quam operationem Spiritus S. miraculoſam et plane extraordinariam vocare poſſumus, principi diabolorum tribuebant, dicentes: hic non eiicit daemonia niſi per Beelzebub principem daemoniorum. Ideoque Spiritui ſanctiſſimo impuri ſpiritus cuiusdam nomen proterue et impie tribuere haud erubeſcebant, ſicut iterum praecedentia docent (Matth. XIII, 23. 24. Marc. III, 22. 30. Luc. XI, 15.). Huius Phariſaeorum actionis malitioſae abſurditate rationibus aliquot oſtenſa, porro Seruator docet, quantum illud peccatum ſit, et quod Spiritum ſanctum laedat, illius-

Digitized by Google

illiusque remissionem nunquam obtineri posse profitetur in in tribus dictis nostris supra allatis (Matth. XII, 31. 32. Marc. III, 28. 29. Luc. XII, 10.) Si igitur circumstantias contingentes ad essentiam grauissimi huius peccati haud pertinentes (nimirum Pharisaeos, sanationem determinati morbi, hominis obsessi muti atque coeci, verba determinata blasphemiae) separamus et mittimus; haec de peccato illo nobis relinquitur notio, quod peccatum in Spiritum S. nihil aliud sit, quam actus, quo quis malitiose admodum operationibus Spiritus S. prorius extraordinariis et miraculosis resistit. Et quod peccatum hocce sine blasphemia Spiritus S. generatim sumta cogitari non possit, is facile concedet, qui nouit, quod sermo, quo Deo imperfectiones perfectissimae eius naturae repugnantes tribuuntur, *blasphemia* generatim sumta dicatur. Si igitur ad haec tria loca Euangelistarum, quae sola in toto codice sacro 1) explicite, et 2) sine omni dubio, de hoc peccato in Spiritum S. κατ' ἐξοχην agunt, respicimus tantum, notio eius suppeditata salua natura peccati in Spiritum S. extendi atque generalior reddi non debet. Id quod confirmatur exinde, quod in dictis illis peccatum hoc in comparatione cum blasphemia 1) in filium hominis et 2) in ipsum Deum, prae hisce peccatis grauissimis irremissibile dicatur, adeoque maius adhuc peccatum, quam 1) blasphemia in Christum, et 2) blasphemia in Deum, nominetur.

Equidem non ignoro, alia etiam dicta ex doctorum quorundum sententia de hoc peccato in Spiritum S. loqui, v. g. Ebr. VI, 4-6. X, 26 sq. 1 Ioh. V, 16. sed me etiam non fugit, quod loca ista adhuc sint valde dubia, et a pluribus aliis doctoribus, de quibus ZELTNERUM, *) SEB. SCHMIDIUM, **) SPE-

*) In Epistola ad I. A. Danzium de Peccato in Spiritum S. 1704.
**) In Commentario ad 1 Joh. V, 16.

SPENERUM *) et GUNNERUM **) nominasse sufficiat, reiici antur. Ergo dicta haec pro determinanda notione biblica de peccato in Spiritum S. tuto adhiberi non possunt. Nostra proinde notio restricta de peccato in Spiritum S. ex dictis biblicis extra omnem dubitationis aleam positis remanet tantum. Et pro illustranda eadem hoc addam, quod ad ambiguitatem vocabuli tollendam mihi videtur necessarium. Peccatum in Spiritum S. triplici modo intelligi potest, vt vel sumatur late, vel stricte, vel strictissime. Peccatum illud late sumtum est peccatum contra Deum ὑποστατικῶς, nimirum in tertia hypostasi et oeconomice consideratum, siue contra tertiam diuinitatis personam. Spiritus S. consideratur vel quatenus ad gratiam Christi applicandam operatur, vel non. Si illud, peccatum in Spiritum S. stricte nominari potest. Ergo Peccatum in Spiritum S. stricte sumtum est actio, qua homo operationibus gratiosis Spiritus sancti resistit. In hac definitione de Peccato in Spiritum S. stricte sumto tam actio illa, quam operationes Spiritus sancti duplici modo determinari possunt. Ergo quatuor species sub illa secundum praecepta logices concipi possunt, quas diuersis nominibus insignire possumus. *Actio* ista nimirum, qua homo operationibus gratiosis Spiritus S. resistit, est vel malitiosa, vel non. Actio *malitiosa*, qua homo operationibus gratiosis Spiritus S. resistit, vocatur peccatum proaereticum in Spiritum S. actio *non-malitiosa*, qua homo operationibus gratiosis Spiritus S. resistit, vocari potest peccatum inuoluntarium in Spiritum S. Sic etiam *operationes gratiosae* Spiritus S. quibus homo resistit, vel sunt ordinariae, vel extraordinariae et miraculosae. Actio, qua homo operationibus gratiosis *ordinariis* Spiritus

*) In Comment. ad h. l.
**) In Institutionibus theol. dogmat. p. 388. sqq.

Digitized by Google

ſpiritus ſancti reſiſtit, cognominari poteſt Peccatum ordinarium in Spiritum ſanctum, iſta vero actio, qua homo operationibus gratioſis Spiritus ſancti *extraordinariis* et miraculoſis reſiſtit, vocatur peccatum extraordinarium in Spiritum S. Peccatum illud proaereticum in Spiritum S. cum peccato in Spiritum S. extraordinario coniunctum iam efficit peccatum in Spiritum S. κατ' ἐξοχην ſiue ſtrictiſſime ſumtum. Ergo peccatum in Spiritum S. ſtrictiſſime ſumtum eſt actio malitioſa, qua homo operationibus gratioſis Spiritus S. extraordinariis et miraculoſis reſiſtit.

Determinata hoc modo notione biblica de peccato in Spiritum S. alias aliorum definitiones nunc breuiter diiudicabo, quod erit tertium lectionis meae publicae hodiernae momentum ſupra promiſſum. Generatim contra omnes illas monendum eſt, quod non ſint verae notiones biblicae ex dictis claſſicis ſuperioribus tanquam ſede huius materiae primaria deductae; ſed ſpeciatim quoque quamlibet illarum ſeorſim nunc conſiderare liceat. Quod igitur attinet ad

Primam ſententiam, pro qua is peccatum in Spiritum S. committit, qui eſſentiam diuinam aut perſonalitatem Spiritus ſancti negat; haec minimum ferme inter reliquas omnes meretur adſenſum, licet peccatum in Spiritum S. late ſumtum nominari queat, de quo autem ſermo nobis plane non eſt. Nam *primo* peccati huius a Chriſto incuſantur Phariſaei; nullibi vero poteſt inueniri, quod Phariſaei eſſentiam diuinam aut perſonalitatem Spiritus ſancti negauerint. *Deinde* res ipſa contra hanc ſententiam loquitur. Si enim ad ipſam eſſentiam diuinam reſpicere volumus, is, qui eſſentiam diuinam negando contra Spiritum S. peccat, ſimul contra Patrem et Filium, quibus vna eademque eſſentia diuina competit, peccaret; et Chriſtus tamen plane et diſerte blasphemationem

Digitized by Google

contra Spiritum S. a blasphematione contra Patrem et Filium distinguit.

Sin autem ad personalitatem Spiritus S. respicimus, nec negatio huius personalitatis peccatum in Spiritum S. et irremissibile vocari potest, quia alias tertia diuinitatis persona antecederet primam et secundam personam; cum omnes tamen diuinitatis personae sint ὁμοουσιοι et ἰσοτιμοι. Quod porro attinet ad

Secundam sententiam; secundum quam Spiritus S. metonymice de verbo diuino intelligitur, et peccatum in Spiritum S. consistere dicitur in negatione veritatum verbi diuini a Spiritu S. inspirati, siue determinatio supra adducta addatur, siue non; nec haec definitio admitti potest. Nam Pharisaeos accusat Christus peccati in Spiritum S.; et nullibi tamen deprehendimus, quod isti verbum diuinum eiusque inspirationem negauerint. Nec veritates verbi diuini, et ne doctrinam quidem de Messia in genere negarunt, licet Iesum Nazarenum pro illo agnoscere recusarent. Vt taceam, causam efficientem scripturae sacrae siue verbi diuini esse Deum trinunum, licet Spiritui S. κατ' ἰδιοποιησιν illa attribuatur. Ideoque verbum diuinum negando peccans, non solum contra Spiritum S. sed simul contra Patrem et Filium peccaret, et peccatum contra Spiritum sanctum, disertis tamen verbis a peccato contra Patrem et Filium distinguitur.

Tertia sententia, ad quam nunc accedimus, Spiritum S. de officio eius interpretatur, et ex hac sententia peccatum in Spiritum S. consistit in eo, vt aliquis operationibus gratiosis Spiritus sancti ad conuersionem eius tendentibus malitiose, pertinaciter ac continuo, resistat. Haec sententia, sicut usitatissima est, ita reliquis quinque sententiis supra adductis palmam

Digitized by Google

palmam etiam facile praeripit. Concedendum eſt, quod Spiritus ſanctus de operationibus eius intelligi debeat. Licet enim Spiritus ſanctus ſit vocabulum, quod diuerſas in Scriptura ſacra habet ſignificationes, vſitatiſſimo tamen et notiſſimo ſignificatu tertiam diuinitatis perſonam innuit. Et quando vocabulum Spiritus ſancti tertiam perſonam diuinitatis indicat, tunc vel de ipſa perſona diuina, vel de operationibus tertiae huius perſonae ſumitur. Cum igitur Phariſaei non vituperarent ipſum Spiritum ſanctum, ſed vituperarunt tantum miracula Ieſu Chriſti, ſeu operationes vel media illa, per quae Spiritus ſanctus homines conuertere volebat; manifeſtum omnino eſt, per Spiritum ſanctum non ipſam eius perſonam, ſed operationes illius, intelligi. Concedendum eſt porro, quod peccatum eius, qui operationibus gratioſis Spiritus ſancti malitioſe, pertinaciter et continuo reſiſtit, ſit plane irremiſſibile; nam ſine operationibus iſtis gratioſis fides produci nequit, ſine qua nec remiſſio peccatorum, nec ſalus aeterna, obtineri poteſt. Concedendum eſt etiam, quod actio, qua quis operationibus gratioſis Spiritus ſancti malitioſe et continuo reſiſtit, peccatum in Spiritum ſanctum ſtricte ſic dictum conſtituat; vtrum vero nominata iſta actio nominari etiam queat peccatum in Spiritum ſanctum ſtrictiſſime ſumtum, de quo noſtra dicta claſſica loquuntur, id eſt quod negamus, quia vi illorum dictorum peccatum in ſpiritum S. non ad operationes gratioſas ordinarias extenditur, ſed ad operationes gratioſas extraordinarias et miraculoſas reſtringitur, ſicut ſupra probauimus.

Quod porro attinet ad *Quartam* ſententiam, per ſpiritum S. intelligitur diuina natura Chriſti, et illi peccatum in ſpiritum S. committere dicuntur, qui diuinitatem veram Chriſti negant. Cui tunc opponitur peccatum in Filium hominis, quod illis tribuitur, qui veram Chriſti naturam humanam ne-

Digitized by Google

gant. Sed variis haec ſententia premitur difficultatibus, ad quas pertinet v. g. quod nulla adſit ratio, cur illius peccatum grauius eſſe debeat, qui negat veram diuinam naturam Chriſti, quam illius qui negat veram humanam naturam Chriſti. Nam vterque eorum veram ſatisfactionem Chriſti pro nobis praeſtitam negat, ſine cuius apprehenſione homo nec remiſſionem peccatorum nec ſalutem aeternam obtinere poteſt. Sic etiam

Quinta ſententia non admitti poteſt, ſecundum quam peccatum in ſpiritum S in eo conſiſtit, vt aliquis miracula Chriſti ex virtute eius diuina non eſſe patrata aſſerat, eademque conuiciis potius proſcindat Primo enim non apparet, cur eiusmodi negatio calumnioſa miraculorum Chriſti peccatum plane irremiſſibile ſit; deinde circa illam non tam ad ipſam calumniam et contumeliam, quam ad finem iſtius reſpiciendum eſt, quippe qui in eo conſiſtebat, vt Phariſaei diuinitatem Chriſti e miraculis ſeſe manifeſtantem negarent, aut argumentum exinde deducendum conuellerent. Atque ſic cum praecedente ſententia coincidit.

Quod tandem attinet ad *ſextam* eamque ultimam ſententiam, quam propoſuit celeberrimus SCHUBERTUS, quando a maximo, inquit, indurationis gradu dependet peccatum in ſpiritum S. quod contra motiua non peccandi a Deo immediate et miraculoſe ſuppeditata committitur. In hac definitione magis expreſſio rei paulo obſcurior tantum, quam res ipſa, taxanda videtur, eademque ex noſtra definitione biblica in ſuperioribus eruta tanquam conſectarium deduci poteſt. Qui enim operationibus gratioſis ſpiritus S. extraordinariis reſiſtit, ille peccat omnino contra motiua non peccandi ab ipſo Deo immediate ſuppeditata.

Quartum, quod reſtat, lectionis meae publicae momentum, reſpicit quaeſtiones varias circa peccatum in ſpiritum S. venti-

Digitized by Google

ventilatas, quas Logomachiis adnumerandas esse paucis adhuc ostendemus. Et quia propter temporis angustiam omnes eiusmodi quaestiones resoluere non possumus, quasdam tamen attingere volumus. Prima istarum est: an peccatum in spiritum S. hodie adhuc committatur? et nos respondemus: pro diuersa huius peccati explicatione mox affirmari, mox negari potest illa quaestio. Pro nostra nimirum definitione ad istam quaestionem respondetur: quod non; nam post ecclesiam plantatam et vbiuis terrarum propagatam spiritus S. non amplius operationibus extraordinariis et plane miraculosis homines conuertere solet aut vult, quippe quae circa tempus ecclesiae plantandae modo necessariae erant; sed post ecclesiam plantatam et propagatam per usum legitimum verbi diuini et mediorum salutis a Deo nobis dono datorum ope spiritus S. ad fidem et salutem peruenire possunt. Pro communissima autem de peccato in spiritum S. notione ad istam quaestionem respondendum est: quod sic. Tristis enim docet experientia, quod in diuersis locis et diuersis temporibus semper adhuc inueniantur homines haud pauci, qui operationibus spiritus sancti ordinariis ad conuersionem et salutem eorum promouendam tendentibus pertinaciter, immo continuo, resistant.

Secunda quaestio est: vtrum peccatum in spiritum S. ante mortem hominis possit esse consummatum? et nos respondemus iterum, quod pro diuersa huius peccati explicatione haec quaestio mox affirmari, mox negari queat. Pro nostra nimirum definitione ad istam quaestionem respondetur: quod sic; pro communissima autem notione respondendum est: quod non. Secundum hanc communissimam enim notionem requiritur ad peccatum in spiritum S. vt aliquis resistat operationibus spiritus S. malitiose, pertinaciter et continuo vsque ad extremum vitae halitum. Ergo de hoc peccato in spiri-

Digitized by Google

tum S. commisso non nisi post mortem hominis iudicari potest. Secundum nostram autem definitionem non temporis habetur ratio, sed inprimis attenditur ad indolem actionis et operationum spiritus S. an nimirum operationibus extraordinariis et plane miraculosis Spiritus sancti homo actione malitiosa resistat. Ergo iam ante mortem hominis, sicut de Pharisaeis propter blasphemiam in spiritum S. commissam asserit Seruator noster, peccatum in spiritum S. potest esse consummatum.

Tertia quaestio est: Vtrum impoenitentia et ἀπιστία finalis aeque ac reiectio omnium mediorum gratiae tanquam formale peccati in spiritum S. considerari debeant, an vero ad attributa potius et adiuncta peccati in spiritum S. referendae veniant? Quae quaestio iterum pro diuersa de peccato in spiritum S. definitione mox affirmari, mox negari debet. Nam secundum definitionem communissimam hic character ipsam ingreditur definitionem, ideoque ad rationem formalem peccati in spiritum S referendus est; pro nostra autem definitione character iste non constituit formale, attamen ad attributa et adiuncta peccati in spiritum S. pertinet. Qui enim ipsis operationibus spiritus sancti extraordinariis resistit, ille multo minus operationes gratiosas et media salutis ordinaria admittet, sed reiiciet. Qui autem omnia salutis media, tam extraordinaria quam ordinaria, reiicit, iisdemque non utitur, ad fidem et conuersionem peruenire non potest. Ergo impoenitentia et ἀπιστία finalis aeque ac reiectio omnium mediorum gratiae ex notione nostra de peccato in spiritum S. sequuntur, ideoque ad attributa et adiuncta peccati in spiritum sanctum referendae veniunt.

Quarta quaestio est: an irremissibilitas cum peccato in spiritum S. ita necessario sit connexa, vt propter suam internam naturam prorsus irremissibile sit peccatum hocce? quam

Digitized by Google

quam quaeſtionem et controuerſiam de hac re ortam etiam in numerum logomachiarum referre nullus dubito. Ab illis enim qui primam et quartam definitionem in ſuperioribus adductam adprobant, iſta quaeſtio adfirmari et adfirmata probari non poteſt; ideoque a nobis reiectae ſunt definitiones illae, quia Seruator noſter diſertis verbis dicit, peccatum hoc in aeternum remitti non poſſe. Pro communiſſima autem aeque ac noſtra definitione biblica iſta quaeſtio omnino adfirmanda eſt. Id quod ex noſtra definitione ita probo. Qui peccatum in ſpiritum ſanctum committit, operationibus gratioſis ſpiritus S. extraordinariis actione malitioſa reſiſtit. Qui ipſis extraordinariis et miraculoſis operationibus ſpiritus S. reſiſtit, ille multo magis operationibus gratioſis ſpiritus ſancti reſiſtit. Qui omnibus operationibus gratioſis ſpiritus S. tam extraordinariis quam ordinariis reſiſtit, ille nulla prorſus ratione emendari et conuerti poteſt. In quo nulla emendatio et converſio poſſibilis eſt, in illo remiſſio peccatorum non obtinet. Ergo peccatum eiusmodi hominis, ſua natura irremiſſibile ſit, oportet. Ergo irremiſſibilitas eſt attributum ſiue adiunctum neceſſarium peccati in ſpiritum ſanctum.

Et haec erant quatuor iſta momenta circa doctrinam arduam de peccato in ſpiritum S. attingenda, quae vobiscum, Auditores honoratiſſimi! in lectione mea publica hodierna communicare volui, et ex promiſſo meo debui. Iudicate iam exinde, *Commilitones optimi*, amici ſuauiſſimi et dilectiſſimi! de mea docendi ratione, quam in poſterum circa difficiliores doctrinas theologicas vobis proponendas diligenter ac ſtrenue obſeruabo. Si eadem *Vobis* placet, et porro placebit, tam gratum mihi illud erit, quam quod gratiſſimum. Valete interim amici mei, me cum meis mox expectate, mihique fauete!

SCHOL.

Digitized by Google

Erleuterung der Inſtitutt. hermen. P. II. p. 177. REVSCHIVM in Introduct. in theol. reuelat. p. 873. SCHVBERTVM in den Vern. und Schriftmäſ. Gedanken von dem Erlöſer der Menſchen p. 95. ſqq. et STRIGELIVM in Hypomnem. p. 147.

Quae in hac tractatione propter chartae angustiam iam abrumpenda reſtant, occaſione proxima vobiscum, COMMILITONES OPTIMI! communicabimus. Enarrandi vero haec, feſtum tempus, in coetibus noſtris pie religioſeque peragendum, occaſionem praebuit; tempus illud laetum, quo incarnatio et natiuitas ſeruatoris noſtri adnunciatur; tempus exoptatiſſimum, quo natiuitas Chriſti in gaudium et ſalutem noſtram ſacta nobis in memoriam mentemque reuocat, vnigenitum Dei filium, virtutem altiſſimi, humanam naturam per operationes miraculoſas Spiritus ſancti productam in vtero Mariae ſecum copulaſſe, apud nos gratiae veritatisque plenum habitaſſe, nosque omnes ex eius plenitudine gratiam pro gratia ſumere poſſe (Ioh. I, 14. 16.). Natus eſt nobis hodie ſaluator mundi, Ieſus Chriſtus; de quo omnes prophetae et apoſtoli teſtantur (Actor. X, 43. XV, 11.), quod per illius gratiam ſeruemur, veniamque peccatorum conſequantur, quicunque in eum credunt: a quo legati eius largiſſimam gratiam diſciplinae ſuae ſectatoribus ſaepenumero optant atque precantur. O! nos beatos fortunatosque, CIVES CHARISSIMI! ſi fructus natiuitatis huius ſalutaris in diebus ſacris ad nos redundabunt. Ea propter enim filium Dei humanam induiſſe naturam, vt ſummam et aeternam ſalutem hominibus et compararet, et impertiret, peruulgata eſt doctrina, quam ne illi quidem ignorant, qui rudimentis ſaltem religionis chriſtianae imbuti ſunt. Hoc autem vobis, CIVES! ſtrenue agendum eſt, vt ſalutares illius fructus percipiatis. Illud qua ratione fieri queat, tum libri diuini, tum horum interpretes ſermonibus ſuis ſacris, clariſſime pleniſſimeque vos condocebunt. Illos itaque reuerenter atque attente legatis; hos cupide aſſidueque feſtis hisce diebus audiatis. Et vt hodie ad aram cum doctoribus veſtris accedatis frequentes, hisque Dei miniſtris ex pia conſuetudine munera offeratis, veſtri erga Deum, Chriſtumque natum, amoris notas certiſſimas, Vos ſimul amiciſſime admonemus.

P. P.

FER. I. NATIVITATIS CHRISTI

A. S. R. MDCCLXXV.

EXER.

Digitized by Google

EXERCITATIO IV.

SISTENS

COMMENTATIONEM EXEGETICO-THEOLOGICAM,

AD LUC. I, 35.

IN QVA

ABVSVS ANTIQVITATVM HEBRAICARVM
IN ILLVSTRANDA OBUMBRATIONE VIRTVTIS
ALTISSIMI MARIAE ANNVNCIATA
INDICATVR ET REMOVETVR.

PARTICULA I.

Digitized by Google

Digitized by Google

Subiectum propositionis Δυναμις ὑψιστου ἐπισκιασει σοι *virtus altissimi obumbrabit te* in sermone angelico Luc. 1, 35. obuiae de secunda diuinitatis persona, filio Dei, esse intelligendum, in Parte I. huius Exercitationis satis superque demonstrauimus [a]). Cum vero interpretes alii *virtutem* illam *altissimi* mox de occulta quadam Dei virtute, siue omnipotentia diuina, mox de Spiritu sancto, interpretentur, prout ibidem iam monuimus; haec aliorum sententia a nobis diuersa nunc diiudicanda et, ad magis stabiliendam nostram interpretationem, remouenda est. Ad illorum numerum, qui *omnipotentiam diuinam* per virtutem altissimi intelligunt, referendi sunt IO. GVIL. BAIERVS [b]), ANTON. BYNAEVS [c]), IOAN. FECHTIVS [d]), MATTH. FLACIVS [e]), FRANCISC. GOMA-

a) Et auctoribus nobiscum facientibus, et ibi p. 75. citatis, praeter TITVM BOSTRENSEM, GREGOR. NYSSENVM, VICTORIVM ANTIOCHENVM, SEVERVM, IOH. GEOMETRAM, et THEOPHYLACTVM a PETAVIO in *Dogmat. Theol.* T. II. L. III. Cap. VI. §. 4. 5. p. 152. sqq. adductos, adnumerari adhuc possunt LE BLANC in Tract. *Principes contre les Sociniens* Tom. I. p. 603. BEDA in *Homil. de Annunc.* BVNTING in *Paed. I. C.* p. 32. DANNHAVERVS, in *Hodosoph.* p. 405. et 408. ROELL. in *Commentar. in epist. ad Ephes.* Tom. I. p. 463. et SCHERZERVS in *Breuiario theologico* §. 47. p. 45.

b) In *Compend. theol. posit.* P. III. Cap. II. Sect. 1. §. VI. not. b.

c) In *Tract. de Natali I. C.* p. 131.

d) In *Sylloge Diss.* 25. Thes. 2.

e) In *Clave scripturae sacr.* Part. I. p. 1326.

Digitized by Google

GOMARVS [f]), IOH. REINH. HEDINGERVS [g]), IOH. REINH. RVSIVS [h]), et FRANCISC. WOKENIVS [i]). Nec negabimus, quod pro hac ſententia corroboranda quaedam allatae ſint rationes; quae autem non probant, quod probare debent. Licet enim concedamus lubentiſſime, quod δυναμις ὑψιϛϖ denotare poſſit omnipotentiam diuinam, ſicut δυναμις κυριϛ Luc. V, 17. et δυναμις Θεϛ Matth. XXII, 29. Marc. XII, 24. 2 Cor. XIII, 14. 2 Tim. I, 8. 1 Petr. I, 5. iſtám omnipotentiam diuinam indicant [k]); attamen hic ſignificatus ob varias rationes in loco noſtro admitti nequit. *Primo* enim omnis nexus orationis, admiſſo hoc ſignificatu, tollitur, eumque nec antecedentium et conſequentium conſideratio, nec loquentis angeli ſcopus, permittunt. In antecedentibus nimirum conceptionem et partum filii Dei angelus adnunciat Mariae v. 31—33. hancque obſtupeſcens annunciationem Maria ſciſcitatur v. 34. quomodo hoc fieri poſſit, vt ipſa et ſalua virginitate concipiat, et filium altiſſimi pariat? quorum *prius* Angelus futurum docet per Spiritus ſancti ἐπελευσιν, *poſterius* autem per virtutis altiſſimi ἐπισκιασμον. Nam ſcopus angeli loquentis requirit, vt deſiderio Mariae ex vtraque ſatisfaceret parte. Et ad conſequentia quod attinet, ex noſtra propoſitione angelus infert ſequentem, ſicut particula illatiua διο oſten-

f) Cuius verba adducuntur in ABRAH. CALOVII *Bibliis N. T. illuſtratis* ad h. l. p. 529.

g) In eius Annotat. german. ad N. T. p. 140.

h) In *Harmonia Euangeliſtarum* Tom. I. p. 33.

i) In *Pietate critica* Part. I. p. 61.

k) Hanc rationem, ipſamque ideo vocis proprietatem vrget FECHTIVS, quando l. c. ſcribit: „In conceptione „Chriſti, Virtus altiſſimi Luc. I, 35. „Mariam obumbrans, ipſa vocis pro„prietate omnipotentia Dei eſt, ſup„plens in Maria, quod ex ſe efficere „illa ſola non poterat. Obumbrabat „autem Mariam, vt Deus arcam teſti„monii Exod. XL, 34. praeſentia ſua, „vterum eius diuinitate ſecundae per„ſonae ita implendo, vt, quod ex ea „naſcebatur, Filius Dei vocari poſſet."

Digitized by Google

οστενδιτ, διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον κληθήσεται υἱος Θεοῦ; *vnde etiam quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei!*). Si quis igitur omnipotentiam diuinam generatim, non filium Dei, per virtutem altissimi intelligere velit, conclusionis istius ratio sufficiens non adest, prout pluribus supra in Part. I. huius Exercitationis p. 72—74. iam euictum est, sed vitium potius in concludendo commisisset angelus Gabriel, quod de illo asserere maxime inconueniens est m). *Secunda*

sine

l) Recteque ideo BVDDEVS in *Institut. Theol. dogm.* Lib. IV. Cap. II. §. 5. p. 742. monet. „Accedit, quod „angelus diserte doceat, ideo, quod „virtus altissimi Mariam obumbratura „sit, filium Mariae vocatum iri *filium „Dei;* quod tum demum fieri recte „potuit, si per *virtutem altissimi* ipse „Dei filius intelligatur."

m) Hanc rationem nostram, cur omnipotentiam diuinam per virtutem altissimi intelligi debere negamus, suppeditauit etiam CARPOVIVS in *Theol. reuelat. dogmatic.* Tom. II. P. I. Cap. II. §. 232. p. 198 sqq. eandemque in duas partes diuisam maioribus ambagibus philosophicis propositi, quando scribit: „Quod autem per δυναμιν ὑψιστου filius Dei, non autem Spiritus sanctus, etiamsi is δυναμις ἐξ ὑψους dicatur, ab effectu Luc. XXIV, 49. coll. Act. I, 8. debeat intelligi, ita ostendimus: 1) Si ex illa δυναμεως ὑψιστου obumbratione super Mariam angelus deriuat, quod nascendus ex eadem futurus sit filius Dei, δυναμις illa ὑψιστου ipsum Dei filium denotat. Sed verum est antecedens per ipsius angeli verba, et ab eodem adhibitam particulam διο, vtpote quae et ratione originis, dum a διὰ ὁ descendit, et vius v. g. 2 Petr. 1, 10. est particula illatiua. Hinc verum est etiam consequens. Veritatem autem consequentiae ita ostendo ab opposito. Fac, per δυναμιν ὑψιστου non Dei filium, sed omnipotentiam Dei intelligendam esse, vt sensus sit: omnipotentiam Dei effecturam esse, vt sine viro reddatur Maria grauida. An inde sequitur, quod Mariae filius debeat simul filius Dei essentialis esse? An impossibile indicas, vt alias etiam virgines Deus per omnipotentiam suam, vel, vt distinctius dicam, per potentiam absolutam, grauidas reddat? An si tale quid contingeret, filius eiusmodi virginis, ex conceptione miraculosa ortus, propter eandem esset simul filius Dei, altera S. S. Trinitatis persona? Ostendas, quaeso, si ita tibi videatur, nexum inter haec duo necessarium. Vel, quod perinde est, ostendas quaeso, fieri non posse, vt a virgine per operationem Dei miraculosam concipiatur filius, qui merus sit homo. Quod si non potes, fatendum tibi est, aut male conclusisse angelum, ipsius Dei verborum ad Mariam nuncium, et in-

terpre-

fine causa ab illis admittitur tautologia, qui virtutem altissimi de omnipotentia diuina generatim intelligunt, quia pro hac sententia propositio prima et secunda commatis nostri a se invicem non differunt, sed angelus idem aut pene idem bis dicere censendus est. Sic enim propositio ista *Spiritus sanctus veniet super Mariam* innuit: Omnipotentia diuina, per quam operatus est Spiritus sanctus, sese exseruit in Maria per operationes peculiares; et propositio altera *Virtus altissimi obumbrauit*

terpretem, quod vt sentiamus aut dicamus, absit, dum alias vel Deo summa licet ratione praedito, ratiocinium illegitimum tribuendum, quod blasphemum, vel angelum aut mentem Dei non recte percepisse, aut recte proponere noluisse, dicendus est, quorum posterius perfectioni angelorum qua voluntatem, prius qua intellectum, eam sapientiae diuinae, media tini conuenientia adhibente, et hinc tali manifestationis medio, vt alter intelligat, vtente, comparatae, repugnat; *aut δυναμις ὑψιστου* hoc loco non omnipotentiam Dei, sed ipsum Dei filium denotare, quia ex huius solius obumbratione et cum humanitate in corpore Mariae miraculose producenda, vnitione potest concipi, cur filius ex Maria nascendus Dei quoque filius fuerit futurus? 2) Pro explicatione nostra oratio angeli prior v. 31 — 33. et posterior v. 35. rectius inter se cohaerent. Nam Mariae quaerenti: *πῶς ἐσται τοῦτο* scil. illud, de quo angelus v. 31 — 33. erat locutus? fine dubio, ne manca esset oratio, vtriusque assertii rationem dare intendit. Conceptionis igitur sine viro, quod primum erat, hanc reddit rationem, quod Spiritus S. super illam venturus (et productionem humanitatis Christi in ipsa miraculose praestiturus) sit; diuinitatis vero filii ipsius verae, quod alterum erat, hanc, quod *δυναμις ὑψιστου* illam sit obumbratura; quae quidem ratio genuina est, si per illam *δυναμιν* filius Dei intelligatur, sed, vt paulo ante n. 1. ostensum, nulla, si omnipotentiam Dei per eandem denotatam velis. Vtriusque autem rationem ita ab angelo ostensa, repetit is vna propositione assertionem suam, dicens: *τὸ γενωμενον ἁγιον κληθησεται υἱος θεου* v. 35. graphice his verbis et conceptionem Christi sine semine virili per vocem *ἁγιον*, quia vt sanctus et sine peccato esset Christus, sine virili semine eum concipi opus erat, et veram eius diuinitatem per vocem *υἱος θεου* innuens. Fac igitur, per *δυναμιν ὑψιστου* non intelligi diuinam Christi naturam, nullam angelus de eo, quod filius Mariae filius Dei futurus esset, rationem reddidit; adeoque manca eius est oratio, quam si imperfectionem tribuere non conuenit.

Digitized by Google

Iesu Mariam rectum indicat? Omnipotentia diuina in Maria praesens fuit per operationes peculiares. Licet igitur asseri debeat, quod in scriptura sacra non adeo insolens sit, vt vna eademque res diuersis vocibus exprimatur, quodque a diuersitate verborum ad diuersitatem rerum non semper concludatur recte; vsitatissimum tamen manet, vt sub diuersis verbis diuersae intelligantur res, quod eo magis hoc loco retinendum est, quia concipi non facile potest, vt in tam concisa responsione et neruosa mysterii incarnationis Iesu Christi explicatione angelus idem aut pene idem bis dicere voluerit. *x*). *Tertio* tandem ipsa duarum propositionum in commate nostro obuia, cum relatio erga se inuicem requirit, vt per virtutem altissimi non omnipotentiam diuinam generatim, sed λογον siue secundam diuinitatis personam intelligamus. Sicut enim subiectum propositionis primae personam quandam diuinitatis indicat, ita quoque subiectum propositionis secundae personam quandam diuinam, non vero omnipotentiam diuinam generatim, denotare censendum est *y*), quia praedicatum vtriusque propositionis operationem quandam peculiarem respicit; operationes vero et actiones suppositorum, et personarum, characteres esse quis nescit? Nec maioris pretii habenda est ratio, quam ex vers. 37. desumere voluerunt alii. Illud omnino concedendum

x) Rationem hanc tetigit CALOVIVS in *Bibl. illustr.* ad h. l. p. 529. eamque repetit ex illo STOCKIVS in Annotat. tuis ad N. Test. p. 418. Et licet ab vtroque ad refutandam sententiam, quod *Spiritus sanctus* per *virtutem altissimi* intelligendus sit, ille fuerit profectus, huc tamen eadem quoque paucis mutatis referri potuit

y) Eadem etiam ratione vsus est BAVMGARTENIVS in Auslegung der Evangelischen Texte auf alle Sonn- und Festtage des ganzen Iahres P. I. p. 466. vbi scribit: Einige verstehen dadurch (scil. per virtutem altissimi) das Vermögen Gottes und seine Allmacht überhaupt. Welche Auslegung aber nicht wahrscheinlich ist, weil vorher

dum est GROTIO [p]), quod sententia in hoc versu contenta non ad promissa tantum pertineat, sed infinita Dei potentia indicetur, quomodo et Syrus accepit; vt autem interpretationem authenticam propositionis nostrae explicandae in hoc commate deprehendi putemus cum nonnullis, tantum abest, vt hanc potius sententiam contra contextum peccare dicendum sit. Cum enim effatum commatis 37. Elisabetham, de qua commate 36. sermo est, euidentissime respiciat, nostra propositio exinde determinari non potest aut debet.

Ad illos autem, qui per virtutem altissimi rursus intelligere volunt *Spiritum sanctum*, SALOM. GLASSIVS [q]), HVGO GROTIVS [r]), CHRISTOPH. AVGVST. HEVMANNVS [s]), IOH. HÜLSEMANNVS [ss]), EDVARD. LEEGHIVS [t]), IOH. HENR. DAN. MOLDENHAVERVS [u]), CLAVD. SALMASIVS [x]), IOH. IACOB. WETTSTENIVS [y]), aliique [z]) pertinent. Et fundamentum, quo haec nititur sententia, admodum ficulneum est. Quamuis enim vel maxime concederemus, quod paralleliſmus a defensoribus huius sententiae adductus,

vorher von einer besondern Person der Gottheit die Rede gewesen.

p) In Annotatt. in libros N. Test. ad h. l.

q) In *Philol. sacra* Lib. V. Tract. I. cap. VIII. p. 1627.

r) In *Annotationibus in libros N. Test.* ad h. l. apud CALOVIVM in Bibl. illustr. N. T. P. I. p. 526. et p. 229.

s) In Erklärung des neuen Testaments. P. II. p. 34.

ss) In Praelection. in Formulam Concordiae p. 199.

t) In Annotatt. philol. et theologic. in N. Test. p. 195.

u) In libro gründliche Erklärung der schweren Stellen der heiligen Bücher N. Test. p. 173.

x) In Tract. *de Transsubstant.* p. 365.

y) In Commentar. ad N. T. p. 652.

z) Inter quos, teste D. FRID. DEVTSCH in Dissert. exeg. theol. de Obumbratione Spiritus S. super Mariam, p. 7. referendi sunt EVTHYMIVS, MALDONATVS, SALMERON, VATABLVS et BRENTIVS.

Digitized by Google

ductus, clatus sit; sicut reuera non est [a]), quodque regula de diuersitate verborum eandem rem denotantium omni exceptione maior sit, sicut reuera non est [b]); minime tamen Spiritus sanctus hoc loco per virtutem altissimi intelligi debet. Duae enim rationes priores, quas ad reiiciendam sententiam praecedentem attulimus, quasque nunc repetere nolumus, hanc etiam expositionem euidentissime destruunt.

Satis nunc, vt spero, propositionis nostrae secundae subiecto illustrato et determinato, ad praedicatum eiusdem, quod est ἐπισκιάσει σοι, progrediemur. Difficultatibus ab aliis in diuersas plane abeuntibus partes circa hoc praedicatum factis [c]) non immorabimur, sed statim probabimus, quod illud praesentiam, ideoque etiam operationem, peculiarem filii Dei in Maria innuat, simulque determinabimus, per quidnam et

 quomo-

a) Nullibi enim tam clare et verbis distertis Spiritus sanctus vocatur virtus Dei, quam clare filio Dei haec tribuitur denominatio, prout supra vidimus P. I. p. 70. Et contra Regulam a GROTIO formatam ad Luc. 1, 17. *Quoties δυναμις nominatur Spiritu nomine, vis quaedam Spiritus solita maior indicatur Actor. X, 38. 1 Cor. II, 4. 1 Thess. I, 5.* iam monuit CALOVIVS l. c. p. 529: „Sed ea *particularis* est, et huc non quadrat; vbi non de virtute Spiritus sancti solita maiori, sed de virtute Dei patris, qui nomine altissimi designatur, sermo est, ac virtus non ἀνυπόστατος sed ὑφεστῶσα indicatur, cui actio personalis tribuitur."

b) Nam theologi accuratiores dicunt: *Vnius rei repetitio per voces diuersas* temere *admittenda haud est*; sed vsitatissimum, quod nimirum sub verbis diuersis res diuersae sint intelligendae, praeferendum omnino est, nisi necessitas illud derelinquendi vrgeat. conf. BVDDEVS in *Institutt. theol. dogm.* p. 142. et CARPOVIVS in *Theol. revelat. dogmat.* T. II. p. 190.

c) Qui istos nosse cupit, adire potest CARPZOVIVM in Disputationibus academic. Dissert. X. Sect. II. Cap. I. p. 426. sqq. POLVM in Synosi Criticorum T. IV. p. 816. edit. Francof. RÖCHERVM in Analectis philol. et exeget. ad h. l. p. 683. WOLFIVM in *Curis philol. et crit.* ad h. l. T. I. p. 562. et CORNELIVM A LAPIDE in *Commentar.* ad h. l. fol. 19.

Digitized by Google

quomodo peculiaris haec operatio secundae personae diuinitatis sese exseruerit in Maria. Quod vtrumque vt eo facilius atque felicius absolui queat, duo alia praemittenda erunt momenta, quorum vnum respicit constructionem pronominis cum verbo, alterum vero attingit vsum et significatum verbi ipsius alibi obuium, vt ita nihil plane circa hoc praedicatum eiusque enucleationem relinquamus intactum.

Quod igitur primo attinet constructionem huius verbi; tam in veteri testamento apud LXX. quam in nouo testamento, mox in dativo, mox in accusativo, nomen vel pronomen illi adiicitur. Sic enim verbum hoc constructum est cum *dativo* Psalm. XC, (al. XCI.) 4. Prouerb. XVIII, 11. Marc. IX, 7. Actor. V, 15. et cum *accusativo* vel nude Matth. XVII, 5. Luc. IX, 34. vel interiecta praepositione ἐπί Exod. XL, 35. et Psalm. CXXXIX, (al. CXL.) 8. Et exinde diiudicatu facile erit, cur non omnes in accusativo, sed antiquae etiam versiones et interpretes veteres in dativo pronomen nostrum transtulerint, quodque ad rem ipsam diuersitas huius constructionis nihil conferat, neque ipsum verbi significatum variet. Sic enim pronomen in dativo exprimunt, *obumbrabit tibi*, versio Vulgata, Aethiopica, et Ariae Montani, itemque AMBROSIVS [d]), GREGORIVS M. [e]) BERNHARDVS [f]) GREGORIVS NYSS. [g]) THEOPHYLACTVS [h]) et BEDA [i]); sed versio Syriaca habet ܢܬܠܝܠ ܠܟ *obtegeret te*, et Arabica تُظَلِّلُ *obumbrabit te* [k]);

Ad

d) In *Libr. de his qui Mysteriis initiantur* Cap. III. Tom. I. Opp. fol. 376.

e) In *Libris Moralium* Lib. XXX. Cap. 3.

f) In *Homilia IV. super Missus est* fol. 32.

g) In *Orat. in diem Natal. Christi.*

h) In *Enarrationi in Lucam* ex edit. Philippi Montani fol. 189.

i) In *Expositione in Lucam* Tom. V. Opp. fol. 192.

k) Et sic etiam HILARIVS Lib. II. *de Trinitate* fol. 20.

Digitized by Google

Ad vſum porro, et ſignificatum verbi ἐπισκιάζειν, quod attinet, inductio locorum biblicorum omnium completa, mox adducta, luculenter docet, notionem *praeſentiae et operationis peculiaris* hoc verbo denotari. Adhibetur enim illud de praeſentia nubis ſuper diſcipulos Chriſti Matth. XVII, 5. Marc. IX, 7. Luc. IX, 34. de vmbra Petri aegrotos attingente Actor. V, 15. et de praeſentia nubis ſuper tentorium conuentus Exod. XL, 35. in quo loco verbum hebraicum שכן *habitauit* verbo ἐπισκιάζειν a LXX vſurpato reſpondet, vbi vero ens aliquod habitare dicitur, ibi praeſentiam ſuam atque operationem illud exſerere cenſetur. Et quoniam tandem in duobus Pſalmorum locis, Pſalm. XC, 4. *alas ſuas obumbrabit te*, et Pſalm. CXXXIX, 8. *obumbraſti caput meum tempore pugnae*, verbum hebraeum סכך *obtexit, protexit*, noſtro verbo ἐπισκιάζειν a LXX. adhibito reſpondet, idea obtectionis autem et protectionis ideam praeſentiae et operationis inuoluit ſiue ſupponit; ex his etiam locis idea praeſentiae et operationis peculiaris vocabulo noſtro attribuenda patet [1]). Et ſic ipſa quoque natura et geneſis *vmbrae* naturalis, vnde *obumbratio* deſcendit, ſicut ἐπισκιάζω oritur a σκια, iſtam *praeſentiae* ideam nobis ſuppeditat. Quis enim vmbram per lumen et corpus fieri neſcit? Vbi igitur vmbra alicuius

1) Et hanc praeſentiae et operationis ideam verbo ἐπισκιάζειν ex vſu biblico tribuendam perſpexit etiam agnouitque CHEMNITIVS in *Harmonia* Cap. IV. p. 55. 56. quamuis applicationem huius ſignificationis non rite inſtituerit, ſed ahorſum eandem retorſerit. *Syrus*, inquit, *habet verbum, quod ſimpliciter ſignificat protegere. Sed maior eſt emphaſis verbi* ἐπισκιάζειν. *Vſurpatur enim de peculiari ratione praeſentiae, operationis et defenſionis diuinae. Sic graeci reddiderunt Deut. XXXIII, 12. Deus* σκιάζει ἐπ' αὐτῷ, *et Exod. vlt. v. 35. Et operuit nubes tabernaculum, et non potuit Moſes ingredi tabernaculum* ὅτι ἐπεσκίαζεν ἐπ' αὐτὴν ἡ νεφέλη. *Ita de transfiguratione Chriſti Matth. XVII, 5. Marc. IX, 7. Luc. IX, 34. lucida nubes obumbrauit illis.* Reliqua ad nos non pertinent.

cuius entis adest, ibi ens illud praesens sit necesse est. Et exinde sequitur, obumbrationem inuoluere ideam praesentiae.

Ex iis, quae hactenus diximus, abunde patet, quod idea praesentiae et operationis verbo ἐπισκιάζειν assignata ex ipsa vocis indole etymologica deriuari, et ex perpetuo eius vsu biblico confirmari queat. Et secundum hanc significationem ἐπισκιασμος virtutis altissimi in propositione secunda, cum ἐπελευσεται Spiritus sancti in propositione prima, aliquo modo conuenit, vt vtrumque vocabulum praesentiam et operationem peculiarem exprimat, quae tamen diuerso plane modo sese exserit. Sicut nimirum Spiritus sanctus, tertia diuinitatis persona, praesentiam suam peculiarem et operationem in Maria exseruit, dum humanam Christi naturam in vtero eius produxit m); ita filius Dei, secunda diuinitatis persona, praesentiam suam peculiarem et operationem in Maria exseruit, dum diuina eius natura humanam naturam a Spiritu S. in vtero illius productam in subsistentiam suam recepit, et arctissime, ad vnicam personam constituendam, secum vnivit. Quod iam ex naturali textus ordine, quo propositiones ibi obuiae se invicem sequuntur, vlterius demonstrabimus.

Obseruandum nimirum est, 1) quod obumbratio virtutis altissimi denotet operationem, quae aduentum Spiritus sancti secuta est, quia hic in propositione prima, illa autem in secunda propositione textus nostri adducitur. 2) quod obumbratio ante facta sit, quam partum enixa est Maria, quoniam illa in propositione secunda, hic autem in tertia demum propositione textus nostri commemoratur. 3) quod obumbratio cum aduentu isto per particulam copulatiuam καὶ arcte connectatur. Et exinde patet, quod obumbratio virtutis altissimi

m) Conf. Part. I. huius Exercitationis nostrae p. 69.

tissimi in Maria sese exserens, immediate cum aduentu Spiritus sancti connexa, ideoque in conceptione domini nostri ante eius natiuitatem facta esse debeat. Cum igitur aduentus Spiritus sancti, in prima propositione nominatus, operationem eius denotet, qua humanam Christi naturam in vtero Mariae produxit; obumbratio filii Dei, in secunda propositione occurrens, indicare debet operationem, qua diuina eius natura humanam naturam a Spiritu S. productam in vtero Mariae arctissime secum statim ita vniuit, vt ad vnicam personam constituendam in subsistentiam suam receperit eandem. Cumque actus iste, quo diuina natura Christi sese humanae naturae, ratione prorsus singulari in eandem agendo, coniunxit ad vnum θεανθρωπον constituendum, dicatur *incarnatio* stricte acceptа n); asserendum omnino erit, in propositione nostra δυναμις Θεου επισκιασει σοι hanc incarnationem contineri atque doceri, sicut in aliis locis v. g. Ioh I, 14. 1. Ioh. IV, 2. 1. Timoth. III, 16. magnum incarnationis huius mysterium clare satis docetur.

His iam absolutis, quaerenti ex nobis: *quorsum vocabulo obumbrationis respiciatur?* facile etiam satisfacere poterimus; quia ipsa notionis cum vocabulo isto coniungendae euolutio in superioribus instituta responsionem commodam suppeditat. Respicitur scilicet *primo* ad vmbrae naturalis indolem, eiusdemque genesin. Sicut nimirum *vmbra*, *quae in obumbratione*

n) Notari merentur verba DAV. HOLLAZII in *Exam. theolog. acroamat.* P. III. Sect. I. Cap. 3. de persona Christi Quaest. XX. obs. 1. p. 665. edit. Telleri, vbi scribit: „Incarnatio *late* sumta, tam productionem carnis in vtero Mariae, quam carnis productae assumtionem complectitur: *stricte* accepta, tantum notat assumtionem carnis in personam τυ λογυ." Et ad quaestionem praemissam: *quid est incarnatio?* idem respondit: Incarnatio est *actio diuina*, *qua filius Dei naturam humanam in vtero virginis Mariae in vnitatem suae personae assumsit.*

bratione adeſt, ſit per lumen et corpus, ita etiam virtus altiſſimi, λόγος, obumbraſſe dicitur Mariam, quia lux incorporea o) adſumſit in Maria corpus, cum eodemque fuit coniuncta p). *Secundo* reſpicitur etiam ad peculiarem praeſentiam Dei extraordinariam; qua Deus ſe olim in tentorio conuentus manifeſtauit, de qua, vt in ſuperioribus oſtendimus, verbum ἐπισκιάζειν apud LXX. adhibetur. Sicut Deus nimirum in nube deſcendebat in tabernaculum illud, et ibidem peculiarem admodum praeſentiam ſuam exſerebat; ita etiam, et longe excellentiore quidem ratione, diuina natura Chriſti in Mariam deſcendens, in Chriſto homine, antitypo tabernaculi, praeſentiam ſuam ſingularem demonſtrauit q).

Vnicum igitur adhuc, idque praecipuum, in noſtra Commentatione reſtat, vt nimirum, ſi promiſſis noſtris in ipſo titulo huius commentationis datis ſtare velimus, inquiramus et diiudicemus: vtrum cum magno CARPZOVIO ad antiquitates iudaicas, et *Chuppam* ibi obuiam, in illuſtranda obumbratione virtutis altiſſimi Mariae annunciata, confugiendum ſit? Et hoc eſt, quod ſine praecipitantia ex ratione ſufficiente negamus atque pernegamus. Ipſas antiquitates iudaicas earumque

o) Sicut *lucis* nomine venit λόγος ſiue filius Dei Ioh. I, 5. 9. III, 19. VIII, 12. XII, 46.

p) Ad hanc vmbrae naturam et geneſin bene etiam reſpexit GREGORIVS M. quando in *Libr. Moralium* Libr. XXX. Cap. III. ſcripſit: *Quia vmbra non aliter exprimitur niſi per lumen et corpus, virtus Altiſſimi virgini obumbrabit, quia in eius vtero lux incorporea corpus aſſumſit.* Et eandem rem verbis pluribus, licet paululum obſcurioribus, alibi proponit, quando Libr. XVIII. Cap. XII. inquit: „Vmbra lumine formatur et „corpore: Dominus autem per diui„nitatem lumen eſt, qui, mediante „anima, in vtero virginis fieri digna„tus eſt per humanitatem corpus. „Quia ergo lumen incorporeum in „virginis vtero erat corporandum, ei, „quae incorporeum concepit ad cor„pus, dicitur, Virtus altiſſimi obum„brabit tibi, id eſt, corpus in te hu„manitatis accipiet incorporeum lu„men diuinitatis."

q) Confer. Coloſſ. II, 9.

Digitized by Google

rumque ſtudium minime contemno, ſed iisdem potius plurimum tribuo, et notitiam vſumque earum legitimum aliis maximopere commendo; attamen abuſum illarum in interpretatione Scripturae ſacrae euitandum eſſe cenſeo. Laudo proinde et comprobo veriſſimum effatum doctiſſimi olim CONSTANTINI L'EMPEREVR *ab Oppyk*, qui in *Praefat. ad R. Moſis Kimchii ὀδοτροφιαν* ſcripſit: „Deſudatur fruſtra, cum ea, quae rituum Iudaicorum luce egent, alio varia ſubtilitate detorquentur;" ſed obumbrationem virtutis altiſſimi in Maria nullius ritus Iudaici luce egere contra CARPZOVIVM omni iure et animo conſtanti defendo, quia ex ipſa indole etymologica obumbrationis, et perpetuo eiusdem vſu biblico, tota res confici, et obumbratio ſatis determinari potuit.

In eo nobiscum recte, et cum quamplurimis theologis, inprimis recentioribus conſentit celeberr. CARPZOVIVS, quod propoſitio commatis noſtri ſecunda de incarnatione Chriſti ſit intelligenda; in eo autem diſſentio a viro praeſtantiſſimo, eumque taxo, quod probationem ſententiae iſtius non grammatice et exegetice, ſed ingenio ſuo indulgens ex *Chuppa* r) Hebraeorum inſtituere, et antiquitatibus iudaicis

 hoc

r) De vocabulo hoc hebraico חֻפָּה a rad. חָפָה *operuit, texit* in Comentat. *de nuptiis Ebraeorum* p. 8. oſtendi, quod denotet thalamum nuptialem, conopeum illud, quod quatuor perticis fultum a quatuor Iudaeis defertur in locum deſtinatum, vt ſub illo ſponſus et ſponſa conſecrentur, et matrimonium confirmetur. Quam notionem etiam ſuppeditat *Elias Leuita* in Thisbi p. 34. אנחנו קוראים הבגד שפורשין על ראש החתן והכלה בארבע בדים בשעת הקידושין חופה *Nos vocamus pannum iſtum, qui ſolet expandi ſuper caput ſponſi et ſponſae quatuor perticis tempore copulationis, Chuppam.* Et ibidem p. 8. et 16. varias ceremonias, quae cum deductione ad Chuppam erant coniunctae, breuiter ſtrictimque deſcripſi; prolixius autem atque complete his de rebus

hoc loco abuti, voluerit. Audiamus quaeſo ipſum CARPZOVIVM ita differentem [r]): „Iam ad eam interpretandi modum deuoluimur, quo emphaſin verbi ἐπισκιάζειν non melius intelligi poſſe exiſtimamus, quam ſi memoratos Chuppae ritus aduocemus in ſubſidium, ad quos quin Spiritus ſanctus voce hac reſpexerit, nulli dubitamus. Senſus ergo totius propoſitionis ex noſtra mente hic eſt: δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι *virtus altiſſimi obumbrabit Tibi*, hoc eſt, *Filius Dei tanquam Sponſus a Te, in tuo vtero tanquam ſub Chuppa obumbrabitur, dum ſibi carnem veluti Sponſam indiſſolubili matrimonii nexu aſſociat, vnit, copulat.*“ Sed ſicut hac in re non ſibimet ipſi conſtans fuit [s]) CARPZOVIVS acutiſſimus, ita in illuſtratione obum-

bus egit laudatus CARPZOVIVS in Diſſert. cit. Sect. I. Cap. I. II. et III. et in omnibus lectori harum rerum cupido ſatisfecit.

r) In Diſſertat. cit. Sect. II. Cap. II. §. 1. in Volumine Diſſertatt. academ. p. 438.

s) Eandem nimirum ſententiam proponit quidem in *Quaeſtionibus Euangelicis Feſto annunc. Mar.* §. 657. vbi ſcripſit: „Die Kraft des Höchſten iſt der Sohn Gottes, welcher eine göttliche Kraft 1 Cor. I, 24. auch ſonſt die Rechte des Herrn Pſ. CXXIII, 15. und ſein Arm genennet wird Iſ. LIII, 1. welcher Marien würde überſchatten. Es iſt dieſes Ueberſchatten eine jüdiſche Redensart, genommen von ihren hochzeitlichen Ceremonien, allwo Braut und Bräutigam unter einem Himmel treten muſsten, und von den Dienern des Herrn geſegnet und copuliret wurden. Gleichwie nun dieſe zwey Perſonen allda vermählet wurden, eben ſo ſollte auch, ſobald Maria durch die Kraft des heiligen Geiſtes empfangen, und die Menſchheit Chriſti in ihr gebildet worden, die Kraft des Höchſten mit den vereinigten, und zur Menſchheit Chriſti abgeſonderten Blutstropfen ſich vereinigen, und das Wort in ihr Fleiſch werden, daſs ſie mit Recht Θεοτόκος, eine Gottesgebährerinn könnte genennet werden.“ Sed longe aliter rem alibi proponit celeberrimus quondam CARPZOVIVS, dum in *Harmonia biblica* Feſto Annunc. Mariae P. I. p. 650. ita loquitur: *Wie nun Gott der Herr dazumahl die Hütten des Stifts dermaßen erfüllte, daß nichts als Herrlichkeit zu ſehen war: Alſo würde auch der Sohn Gottes, die Jungfrau Maria, und die in ihrem Leibe gebildete menſchliche Natur, als die größere und vollkommnere Hütten, die nicht*

obumbrationis virtutis altissimi ex Antiquitatibus Hebraeorum ab illo instituta duplex commisisse vitium videtur. In hac nimirum a Chuppa Hebraeorum desumta explicatione laeditur *primo* constructio grammatica in textu graeco obuia, et vel in Hypallage, vel in Enallage, quarum figurarum neutra sine necessitate admittenda est, refugium quaeri debet. Pro hac enim expositione Carpzouiana in textu Graeco deberet esse passiue καὶ δυναμις ὑψιστου ἐπισκιασθησεται ἐν σοι *virtus altissimi obumbrabitur in te.* Hanc igitur obiectionem vt euitaret LÜTKENIVS, explicationem Carpzouianam defensurus, ad Enallagen confugit *u*). Sed licet eiusmodi constructio, secundum quam verbis actiuis quandoque passiuorum significatio tribuitur, in lingua Graeca et Hebraica non plane insolens sit *x*), sine necessitate tamen eadem admittenda haud est. Hoc autem loco nulla plane adest necessitas, quia verbum actiuum, idea obumbrationis grammatice et exegetice rite euoluta, eandem gignit sententiam, quam CARPZOVIVS demum admissa significatione passiua e Chuppa sua eruere studuit. Idem quoque dicendum est de Hypallage, per quam rei

nicht mit der Hand gemacht ist, als wie jene, Hebr. IX, 11. bedecken, und mit seiner Herrlichkeit erfüllen.

u) Sic enim in *Collegio biblico secundum locos theologicos adornato* p. 125. scribit: „Es ist der heiligen Schrift nicht ungebräuchlich, dass ein Verbum actiuum in significatione passiua stehet. Lutherus hat solches sehr wohl gewust, daher er Iob. IV, 19. den Text also verdeutscht hat, *sie werden von Würmern gefressen*, da es in der hebräischen Sprache actiue lautet: *Sie werden sie fressen als ein Wurm oder Made.* Und wenn es heisst in der Grundsprache: Sie legen sie als Schaafe in der Höllen, Psalm. XLIX, 15. so hat es Lutherus wohl gegeben: Sie *liegen* oder sind gelegt als Schaafe. Dahero denn, wenn wir unsern Text also annehmen: Die Kraft des Höchsten wird von dir überschattet werden, wir nichts anders thun, als was bey andern Orten der heiligen Schrift auch geschicht und geschehen muss."

x) Conf. SALOM. GLASSIVS in *Philologia sacra* Lib. III. Tract. III. Canon. 23. p. 816. sqq.

Digitized by Google

Carpzouianae noua ratione consulere voluit LUTKENIVS y). Nolumus enim omnem plane negare Hypallagen, quae in eiusmodi vocum transpositione consistere dicitur, vt de vno dicatur quod dici deberet de altero, vel vni attribuitur, quod attribuendum esset alteri z). Sed, vt taceam, hanc figuram grammaticam esse rarissimam a), sine necessitate etiam nullibi admitti debet Hypallage. Cum igitur verus propositionis nostrae sensus, incarnationem Christi docens, ex ipsa vocabuli ἐπισκιαζειν indole et vsu biblico a nobis erutus sit atque demonstratus; ad inueniendum sensum illum incarnationem Christi docentem nec Chuppae hebraicae enucleatione et applicatione, nec hypallage, opus est. *Secundo* etiam ipsa rituum circa Chuppam obuenientium applicatio aliquo modo claudicat. Vrget quidem ad probandam suam de Chuppa Hebraeorum in subsidium vocanda sententiam CARPZOVIVS exactam in hoc negotio conuenientiam, quando in Diss. cit. Sect. II. Cap. II. §. VI. *sensum nostrum*, inquit, *probamus e conue-*

y) Sic enim ille l. c. p. 125. in fin. loquitur: Es findet in der heiligen Bibel auch vielfältig diese Art zu reden statt, die Hypallage genennet wird, und vermöge welcher, unter zweyen Personen oder Sachen, dasselbe der einen zugelegt wird, was der andern zukömmt. So heisst es in Grundtext Dan. I, 9. *Und Gott gab den Daniel der Gunst und der Barmherzigkeit des Oberkämmerers*, das ist, Gott gab, oder wandte zu, die Gunst und Gewogenheit des Oberkämmerers dem Daniel. Und Amos V, 16. hats der sel. Lutherus sehr wohl übersetzt: *Man wird zum Wehklagen rufen wer weinen kann.* Da es in der Hebräischen Sprache also lautet: Vocabunt planctum ad peritos lamenti, man wird dem Wehklagen rufen zu denen, welche des Klagens erfahren sind, Matth. IX, 23. Auf gleichen Schlag wird in unserm Text gesagt, der Sohn Gottes habe die Mariam überschattet, da doch der Sohn Gottes von der Iungfrau Maria unter ihrem Herzen ist überschattet worden.

z) Confer. GLASSIVS in *Philol. sacra* Lib. IV. Tract. II. obs. XXI. p. 1240. sqq.

a) Quam ob rem FRANC. WOKENIVS in *Pietate critica* P. I. de abolendis Hypallagis textus Ebraei atque Graeci, figuram hancce plane eliminandam esse putauit.

Digitized by Google

conuenientia cum re ipsa, vtpote cui accurate applicari possunt ritus commemorati partes praecipuae, si non singulae; nolumus enim ad scrupulosam singularium circumstantiarum collationem dilabi, caetera haud difficulter instituendam. Chuppa, ἐν ᾗ ἐνυμφεύσατο ὁ λόγος τὴν σάρκα, *est castissimus Mariae vterus:* Sponsus, *ipse* λόγος, δύναμις ὑψίστου, *Filius Dei* μονογενης. Sponsa, *caro seu natura humana in se* ἀνυπόστατος, *nostrae tamen vere* ὁμοουσιος. Copulator, *Spiritus sanctus, coelestis Rabbi, qui per* ἐπελευσιν, *seu singularem plane superuentum guttulas virginis Mariae sanguineas, e quibus caro Domini formanda erat, consecrauit: ipse tandem* Copulationis actus, *assumtio carnis in* ὑπόστασιν τοῦ λόγου, *et admiranda vnio, e qua communio et communicatio naturarum prodit.* Sed sicut reliquarum circumstantiarum collatio, qua tamen opus non est, omnino difficulter erit instituenda, ita ipsa aliarum rerum a CARPZOVIO institutarum collatio suam adhuc habet difficultatem ratione *copulatoris Spiritus sancti, coelestis Rabbi.* Quia enim Spiritus sanctus per ἐπελευσιν in vtero Mariae humanam Christi naturam produxit, atque ideo pro comparatione ista tanquam Pater Sponsae consideratur [b]), non simul sine confusione ac difficultate quadam per eandem ἐπελευσιν tanquam *Rabbi* et Copulator sponsi cum sponsa considerari poterit. Nihil proinde ad illustrandam obumbrationem Virtutis altissimi Mariae annunciatam, nisi allusionem ad vmbram naturalem eiusque genesin, et ad peculiarem praesentiam Dei extraordinariam in tabernaculo foederis, admittimus; Chuppae autem ritus a CARPZOVIO in subsidium vocatos, tanquam rem ad quam respexisset

b) Alias autem Spiritum sanctum secundum vsum biblicum Patrem Christi quod ad humanam naturam recte vocari posse, theologi nostri negant. conf. IO. ERNEST. GVNNERVS in *Institut. theol. dogmaticae* §. 194, 2. 1. p. 609.

Digitized by Google

ſet Spiritus ſanctus, reiicimus, et beatum virum antiquitatibus hebraicis hoc loco abuſum eſſe putamus.

Sed quicquid ſit, et quicquid quilibet de obumbratione virtutis altiſſimi Mariae annunciata cogitare velit; illud tamen certum eſt, et dogmatice verum ſemper manet: ſecundam diuinitatis perſonam in vtero Mariae humanam Chriſti naturam in ſubſiſtentiam ſuam recepiſſe, vt θεανθρωπος a Maria ſit natus. Et ſatis clare magnum hoc incarnationis myſterium in Scriptura ſacra traditur Ioh. I, 14. 1 Ioh. IV, 2. 1 Timoth. III, 16. Quae veritas in noſtram iam reuocanda eſt memoriam, quia in diebus noſtris ſactis ab eccleſiae miniſtris pro concione publice docetur: diuinam etiam Chriſti naturam vi ſua eundem a mortuis reſuſcitaſſe, ſiue Chriſtum vi ſuae naturae diuinae in vitam rediiſſe. Si enim Chriſtus virtute diuina per vnionem hypoſtaticam carni ſuae communicata alios excitauit, Ioh. V, 21. quidni eadem ſeipſum excitaret? Cui propoſitioni eo magis noſtrum praebere debemus aſſenſum, quo magis dilectis eadem docetur et confirmatur verbis Ioh. X, 18. Actor. I, 3. Hanc Chriſti reſurrectionem nobis admodum ſalutarem in diebus feſtis, CIVES CARISSIMI, diligenter perpendatis, et per diligentem eius conſiderationem eo Vos duci patiamini, vt vitam, ſi veſtra Vobis curae cordique eſt felicitas, ſaluatore veſtro ex mortuis excitato vobisque Chriſti adſeclis dignam geratis. Perpendite, quod vna cum Chriſto per baptiſmum ad mortem ſepulti ſimus, vt quemadmodum Chriſtus reſurrexit in gloriam patris, ſic et nos in vitae nouitate gradiamur. Rom. VI, 4. Perpendite, Deum nos per Chriſtum eiusque reſurrectionem eximia maximaque dediſſe beneficia, vt per ea diuinae participes fiatis naturae, et mundanam cupiditatis corruptelam effugiatis 2 Petr. I, 4. Haec agite, CIVES, haec meditemini feſtis hiſce diebus, Frequentate, quaeſumus, his ſacris diebus concionem ſacram, et auditione publicorum euangelii interpretum viuentisque Chriſti miniſtrorum, ac piarum precum cantionumque effuſione, veſtro ſatisfacite chriſtianorum officio. Haec autem ſtrenue agentes, memores quoque ſitis reuerentiae gratique animi, quae veritatis coeleſtis doctoribus debentur. Quod enim ab omnibus religionis chriſtianae cultoribus poſtulat Apoſtolus 1 Corinth. IX, 11. vos quoque decet: *Si nos vobis diuina ſeminauimus, magnum vero eſt, ſi nos humana veſtra metamus?*

P. P.

PRIMO PASCHATIS DIE

ANNO REPARATAE GRATIAE DIVINAE

MDCCLXXVI.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO VI.

DE

FICTA SATISFACTIONIS CHRISTI CRVENTAE ORIGINE.

Digitized by Google

Digitized by Google

Ex quo συγγενες ARISTOTELIS malum, malum PLATONIS συμφυτον, TIMONIS επιθυμια παντων πρωτιστα κακων, quibus natura hominis quodam quasi impetu fertur, ad deteriora exsequenda, et ex quibus, tamquam fonte, peccata, quibus sancti dii et puri irascuntur, propullulant, hominum mentes inuasit; ex quo opinio, et, quae ex legislatoris voluntate praestanda sunt, praestare perfecte, et ad actiones ad regulam, in lege propositam, accommodare, et cum actionibus moraliter malis mala connexa consectaria sustinere, id est, opinio de satisfactione, cum actiua, tum passiua, ingeniis inhaesit: ex eo varia Deum sibi conciliandi media efficta sunt. Etenim delictorum remissione, gratia, animi quadam cum violato deo gratiam ineundi, promtitudine, dolore ex criminum recordatione susceptо, seria emendatione, iisdemque sine praeuio quodam reconciliationis medio, poena, quae durat, infinita, poenarum sensu, continentia, rite factorum exercitio, muneribus, precibus, lustrationibus, lotionibus, et quae sunt alia eiusmodi genera, reconciliationem,

Digitized by Google

impetrari putarunt *a*). Quoniam autem neque acceptilationem, neque aggratiationem, sufficientem crediderunt, quamdam, quam vicariam vocamus, satisfactionem, quaesiuerunt quidem, sed neutiquam inuenerunt. Namque sacrificia excogitarunt, quibus a quibusdam personis certis ritibus res externae diis consecrabantur pariter atque offerebantur, vt placaretur numen, reus purgaretur, piaretur peccatum atque lustraretur. Quem in finem sacrificia, ἱλαστικα, ἁγνιστικα, καθαρτικα, denominatione ab sordibus ablutis desumta, ab graecis dicta, ab latinis placamina, februa, piamina, exorta sunt *b*). Quae vt rite peragerentur, res, vel cruentae, vel non cruentae, vel animantes, vel inanimatae eligebantur. Eligebantur primum exsanguia sacrificia, vel arida, vt, farina, placentae, tus, vel liquida, vt, oleum, vinum, mel. Quare relatum legimus apud THEOPHRASTVM, manipulos graminis quosdam primum arborum, deinde fruges, apud SOPHOCLEM, lanam atque vuas, apud PAVSANIAM, poma, vinum, mellitas placentas, apud PLATONEM, ex pomis atque pane confectas placentas atque melle perfusas, apud THVCYDIDEM, suffimentum et domesticas fruges, ex quibus placentae, vt animalia fictae, compositae fuerunt, apud PHILOSTRA-

a) De his variis mediis, quamquam minime idoneis, IOACH. HARTMANNVS in vernunftmäßigen Beweise von der Nothwendigkeit und Wirklichkeit eines Erlöfers, pag. 156. IO. DAV. MICHAELIS in Gedanken über die in heiliger Schrift offenbarte Lehre von der Gnugthuung Christi als einer höchstvernünftigen und der Weisheit und Güte Gottes gemäßen Lehre pag. 92. PETRVS HANSEN in der siegenden Religion der Christen p. 119, et in der einzigen wahren Religion cap. VI, pluribus disserunt.

b) Id quod quidem HENR. GVIL. CLEMM in vollständiger Einleitung in die Religion und gesammte Theologie P. I. pag. 210. 213. pernegat. Tamen contraria docet HERM. WITSIVS in miscell. sacr. T. II. exercit. XX. de theologia gentilium in negotio iustificationis, GVIL. OVTRAMVS lib. I. de sacrificiis cap. 22, §. 113, p. 279, seqq.

Digitized by Google

STRATVM atque EVSTATHIVM, ex variis aromatibus bouem figuratum oblata fuisse. Postea incruentis sacrificiis abolitis, opinionem de meliore, sanguine largiter perfuso, placatione animus imbibit. Et ad numen propitiandum, boues, tauros, vaccas, sues, pisces, asinos, atque alia bruta, destituta ratione, iugularunt. Quoniam vero rerum pretiosarum alia aliam superat, ratio, superstitione corrupta, sacrificia, alia aliis longe praestantiora, excogitauit. Quoniam etiam persuasissimum habebat, nobilius humano sanguine sacrificium diis non posse praestari, praestantiora quum exhibere non possent, sanguinem humanum, acceptissimum sacrificium obtulerunt. Atque eiusmodi oblatio duplicis generis fuit, coacta, voluntaria, haec, diis expostulantibus, et ex hominum, patriae eiusdemque salutis amore flagrantium, arbitrio, illa, ex libris fatalibus, vel aruspicum responsis. Quibus vero tale piaculum esse contingit, καθαρματα, περιψηματα, βδελυγματα, αποτροπαιοι, αντιψυχοι, μιασματα, καθαρσιοι, ἀναθεματα et quae id genus plura nomina sunt, nominabantur, siue fuerint sontes, siue insontes, siue capitiui, siue serui, siue hospites, quin immo infantes. Atque de his, qui victimae cuiusque piacularis animam animae sontis vice dederunt, et pro vita hominis nisi vitam hominis reddiderunt, vt deorum immortalium numen placaretur, Aegyptus, Phoenicia, Carthago, Scythia, Chersonesus taurica, Rhodus, Chius, Lesbus, Tenedus, Salamin, Creta, Syria, Assyria, Arabia, Persia, India, Albania, Galatia, Bithynia, Cyprus, Gallia, Germania, Suecia, Noruegia, quidquod Iudaea ipsa, insignia exempla praebent, id quod auctores, qui de ritu, victimas offerendi humanas exposuerunt, vberrime docent c).

c) SELDENVS de diis Syris Synt. I. c. 6, GROTIVS in Deut. XVIII, 10. et

Eiusmodi exemplum, illustre quidem, at funestum, at salutare, generis humani arbiter, Iesus Christus, eiusdem mors cruenta praebet. Illustre fuit, etenim non vlla aliqua res condita, fuerit aurum atque argentum, fuerit bestia, fuerit homo, fuerit homine perfectior, angelus, fuit, sed summi numinis filius vnigena, qui in patris est sinu. Funestum, nam varia perpessionum genera grauissima atque ignominiosissima animo pertulit aequissimo, ita, vt ne mortem quidem fugerit indignissimam, terribilem atque turpem. Salutare tandem, nam mors, quam cepit, non vni alteriue genti, nationi, ciuitati, prouinciae, sed toti potissimum generi humano proficua fuit, quippe quae reum variis malis aeternis atque infinitis, quibus obnoxius fuit, atque ex quibus sese non potuit

et de satisfactione CHRISTI cap. X, §. XIV. IS. VOSSIVS de origine idol. L. II, c. 5, DIONYSIVS VOSSIVS in MAIMON. de idol. c. VI, l. 5. LVD. VIVES in notis in AVGVSTIN. de ciuitate DEI, L. VII, c. 19. OVZELIVS et ELMENHORSTIVS in not. in MIN. FELICEM, TIRAQVELLVS in ALEX. ab ALEX. SPENCER de legibus hebr. L. II, c. 13, §. 3, PAVLVS DAN. LONGOLIVS in duabus dissertationibus de originibus ἀνθρωποθυσιῶν a vulgari erudelitatis crimine vindicatis Lipsi. CIↃIↃCCXXXVIII. habitis itemque in variis prolusionibus Curiae Regnitianae editis, EL. SCHEDIVS de diis germanis cap. XXXI, IO. LOMBIERVS de gentium lustrationibus c. XXII, IO. MEVRSIVS in Cypro L. I, c. VII, et XII. P. D. HVETIVS in alnet. quaestionibus p. 278, IO. FREINSHEMIVS ad FLORI III, 4, n. 2, et CVRTII IV, 3, 23. PHIL. CLVVERVS in germ. antiqua p. 250, sq. STEPH. IO. STEPHANIVS ad SAXONEM grammaticum p. 92, seq. P. FRANZII Nazianz. p. 330, IAC. GEVSIVS in opere duos in tomos diviso, quod inscribitur; victimae humanae, Groning. CIↃIↃCLXXV, 12, IO. IÖNSENII seu IONSII tract. de ἀνθρωποθυσία gentilium Hamburg. CIↃIↃLIV. MICHAEL HERTZIVS in exercitat. de victimis humanis Erfurt. CIↃIↃLX. 4. CHRIST. HENR. BARTHOLI dissertat. de ritu sacrificandi homines apud ethnicos Hafn. CIↃIↃCCIV. IO. POTTERVS in archaeolog. gr. p. 230, PETR. PETITVS L. II. de ἀνθρωποφαγίαις c. 9, et 10, atque complures, quos IO. ALB. FABRICIVS in bibliogr. antiquaria c. XI, §. 3, laudat.

Digitized by Google

tuit exſerere, exemit, non vero tantum exemit, ſed ſontibus etiam hominibus multa comparauit bona, itidem aeterna atque infinita.

Nec aliter fieri voluit ſupremus legislator, qui, ſanguine ipſo pro anima ſupplicari, grauiter praecepit Lev. XVII, 12, ex quo, fere ſanguine omnia ex lege purgari, nec ſine ſanguinis fuſione dari veniam, diuus PAVLLVS concludit Hebr. VIII, 22, quo vero pacto id efficiatur, S. V. MARPERGERVS, ſacrae Saxoniae olim praeſidium, vberius demonſtrauit d). Qua ex re etiam nec aliter fieri debuit, vt ſanctiſſimus deum inter atque homines mediator, qui ſeſe expromiſſorem declarauit, mortem expeteret cruentam.

Itaque commentum ſiculneum habemus, quo IO. TILLOTSONVS, ſummus ſacrorum cantuarienſium epiſcopus atque britonum regi a conſiliis intimis, in ſacro quodam ſermone e) auditoribus ſuis perſuadere conatus eſt, de ipſo profanarum gentium atque a vero veri dei cultu alienarum ritu, quo ſanguine, largiter profuſo, hoſtiarum piacularium peccatorum impetrare veniam ſtuduerunt, exemplum ſumſiſſe deum iuſtiſſimum, quod ſecutus eſt, quum maieſtatem ſuam, nefandis violatam ſceleribus, nati ſui cariſſimi morte placare decreuit. Verum de huius indole opinionis inquiſituri diligenter, varia, quominus illi ſubſcribamus, obſtant, breuiter ac ſtrictim expoſituri.

Primum enim ſi quaerimus, quid fuerit cauſae, cur ſanctiſſimus dei filius tam acerbo, tam crudeli fuerit exſtinctus funere,

d) In libro, das groſſe Sühn- und Sündopfer des groſſen Verſöhntages, pag. 627.

e) Legitur in auserleſenen Predigten continuatione quinta p. LV, ſqq. quam IO. MARTINI DARNEMANNI ſtudio debemus.

Digitized by Google

fuiere, causa quidem in promtu est, quia expromissor generis humani esse voluit, at minime idonea, quae in voluntate diuina et seria et efficaci hominum saluandorum sita est. Atque hanc suam voluntatem propensam, hominibus redemtorem non promittendo tantum, sed etiam dando, declarauit *f*). Sed quem ad modum Deus, quidquid vult, ab aeterno vult, ita etiam decretum eius de hominibus saluandis aeternum statuimus *ff*). Quare PETRVS, in concione, coram contumaci habita populo, IESVM Nazarenum definito dei consilio et prouidentia traditum, Act. II, 23, pronunciat. Qui igitur potest fieri, vt deus hostias piaculares habeat documentum.

Sicut vero Deus, morte sui vnigenae filii cruenta, homines redimere, prius decreuit, quam homines ipsi sacrificiis cruentis delictorum veniam impetrare crediderunt, ita ipsorum origo sacrificiorum huic refragatur opinioni. Verum quanta sententiarum diuortia, si hanc reperire volumus. Etenim eruditorum alii fuerunt, qui homines primaeuos solo naturae lumine, aut conscientiae dictamine institutos atque inductos sacrificasse tradiderunt, alii, qui sacrificia ab arbitrio humano vel piae simplicitatis persuasione fluxisse perhibuerunt, alii, qui ex priuati commodi dulcedine, ab sacerdotibus introducta, atque ex sollemnibus conuiuiis orta, contenderunt, nonnulli, qui ab gentis profanae sacrificiis petita, atque

f) De hac voluntate eximia ac singulari egerunt, vt de pluribus vnum tantum aut alterum laudem, IO. ERN. SCHVBERTVS in überzeugendem Beweise, dass die christliche Religion die wahre sey, cap. V, §. 280, seqq. in introd. in theol. reuel. c. VI, §. 190, seqq. in vernünftigen und schriftmässigen Gedanken von der Gnadenwahl, cap. II. GOTTHILF TRAVGOTT ZACHARIAE in biblischer Theologie P. II, p. 518, seq.

ff) Huius theseos verum adseruit illustris WOLFIVS in theol. natur. P. I, §. 504. seqq.

Digitized by Google

que in cultum diuinum recepta asseuerarunt. Magna fuerunt nomina, qui, vna aut altera opinione rapti, diuinitus mandata sacrificia negant, atque eorum inuentionem ἐθελοθρησκείας aut alii causae attribuunt. Licet tantum quosdam ex his nominare, vt HVGONEM GROTIVM [f]), GVIL. OVTRAMVM [h]), IO. SPENCERVM [i]), HENNING. BERNH. WITTERVM [k]), IAC. SAVRINVM [l]), PHIL. A LIMBORCH [m]), vt CLERICVM, SAL. VAN TILL, SYKESIVM, TAYLORVM, MORGANVM, MICHAELIS omittamus. Quamquam, SPENCERO iudice [n]), ne susurrum quidem legis alicuius de Deo sacrificiis honorando, primis hominum patribus datae, per totam scripturam percipere licet, quamquam WITTERVS [o]) grauiter pronunciat: vtrum ex speciali mandato, vtrum vero solius rationis dictamine sacrificandi ritus primum obtinuerit? dubium est, tamen ab libri sacri silentio ad negationem ipsius rei tuto colligi nequit. Namque, iudice CONR. IKENIO [p]), origo quorumdam institutorum atque caerimoniarum in sacris diserte tradita est, aliorum non item, neque, vt in omnibus fieret, opus erat. Hinc vbi ea diserte tradita non est, sufficit, si aliis indubiis argumentis, aut probabili saltem ratione adstruatur. Quare quidquid ratio de praecipuis et essentialibus cultus sacri partibus docere non valet, id necessario deum auctorem debuit habere. Etenim ratio sana minime docet, loco homi-

f) De verit. relig. christ. L. V, §. VIII.
h) De sacrificiis L. I, c. I, §. III, seq.
i) De legibus hebr. ritual. L. III, c. I, p. 754, cap. IV, p. 767, 770, 772.
k) Comment. in Genes. p. 159, seq.
l) In discours sur la bible, disc. V.
m) In amica collatione cum erudito iudaeo de veritate religionis christianae, pag. 321.
n) l. c. p. 767.
o) l. c.
p) In diss. II, de institutis et caerimoniis legis mosaicae ante MOSEN.

hominis peccatoris innocuum animal, quod neque peccauit, neque quidquam cum peccato hominis commune habuit, immolandum esse, atque hoc peracto Deum placari aut velle aut debere. Neque vero videtur simili, hominem, sine peculiari diuino mandato, vllum neci dare animal, ausurum fuisse, quum natura potius ipsa a caede abhorreat, atque, rem conditam, sine supremi eius domini iussu destruere, audax nimis atque temerarium videatur. Praeterea, ABELEM sacrificium prae CAINO praestantius obtulisse fide, quod Deus benigniter respexit, quin et ipsum testimonium, se iustum esse, accepisse, sacer codex Hebr. XI, 4. Gen. IV, 4. diserte docet. Siue pro rationali illa persuasione, ritum illum Deo placiturum, accipias fidem, propriorem reuelationem seu voluntatis diuinae declarationem necessario pro concesso et probato sumit; siue eam in emphasi de fide, in seruatorem, quam praecipue intendi, ex comm. 26. 39. 40, huius capitis patet, et ex qua sola peccatoris iustificatio est, sumas, tanto id magis elucet, quia extra hanc reuelationem nihil de mediatore cognoscitur, et haec in primis fides ex auditu est. Magis euidentius hoc quoque est, quo magis sacer codex vbique inculcat, sacrificia ἱλαστικα omnia huius fuisse mediatoris typos, in quantum is corporis sui immolatione veram adducturus expiationem, pro peccatis ἱλασμος futurus est. Verum quem admodum sine fide vt placeatur, fieri non potest, ita sacrificia, quoties aliquis in externis tantum haesit, et quoties sine hac fide ea obtulit, maxime Deo exosa fuerunt atque ab eo reiecta. Quod si eiusmodi oblationes humani forent ingenii foetus, turpissimam saperent ἐθελοθρησκειαν, Deo maxime inuisam, tamquam ἐνταλματα των ανθρωπων, atque talis hominum παραδοσις, PAVLLO iudice, κενη απατη vocaretur

tur *q*). Summo numine sacrificiorum auctore, quis est, qui credat, et data cum SPENCERO opera contendat, Deum sacrificandi ritum ab gentibus deduxisse, purgasse, praecepisse Israelitis, et cum TILLOTSONO, ad fictorum numinum cultorum arbitrium et nutum finxisse fere et accommodasse. IOSEPHI, potius iudicium vero similius est, pronunciantis, neque ciuitatem graecorum vsquam, aut barbarorum; neque vllam fuisse gentem, quin iudaeorum pietatem *ex partes* aemulata sit *r*); id quod in celebrandis sacrificiis obseruatum est, quoniam, auctore HVGONE GROTIO *s*), gens profana saltem omnibus modis se summo Deo in cultu aequari voluerunt, et quoniam, iudice DORSCHEO *t*), iudaeorum imitatione ad suas sacrificiorum ceremonias processerunt gentiles, tum, quia omnes e NOACHO orti, tum, quia ex patriarcharum peregrinatione, vel conuersatione, vel celebritate id hauserunt, tum, quia fama templi et religionis in gente Israelitica institutae, ad orbis etiam fluxit incolas: hinc vestigia etiam

q) Pluribus de diuina sacrificiorum origine egerunt IO. GOTTLOB CARPZOVIVS in introd. ad libros canonicos bibl. V. T. P. I, c. VI, §. IV, et in apparatu antiquitat. s. codicis et gentis hebraeae pag. 699. SAL. DEYLINGIVS in obseruatt. S. P. II, obs. IV, THEOD. CHRISTOPH LILIENTHAL in der guten Sache der göttlichen Offenbarung, P. IV, p. 1048. ADOLPH CHRISTOPH ABAKEN in originibus rerum sacrarum, exercit. III, de ortu sacrificiorum, et im Ursprung der opfer. rel. et in christl. Briefen über die Theorie der Opfer, GOTTHILF. TRAVGOTT ZACHARIAE in bibl. Theologie P. II, p. 330, seqq. IO. FRANC. BVDDEVS cum in instit. theol. dogm. L. I, c. I, §. XXIII, p. 13, tum in hist. eccles. V. T. T. I, Sect. I, §. XXX, p. 143, IO. AVG. ERNESTI in vindiciis arbitrii diuini in religione constituenda, p. 52, seqq. IO. CLOPENBVRCH in schola sacrificiorum patriarchalium sacra, cap. I, in T. I, OO, pag. 7, seqq. et quam plurimi, quos WOLFIVS not. 3, et 4, ad LVNDII iüdische Heiligthümer L. III, c. XXXIII, laudat, quorum tamen numerus augeri posset.

r) L. II. contra APIONEM p. m. 1081.

s) De verit. rel. christ. lib. IV, §. III.

t) In myst. mist. §. 12, cap. I.

Digitized by Google

non obſcura cultus moſaici emicant in illis licet myriadibus ſuperſtitionum. De hoc imitandi ſtudio multa proſtant exempla, de quibus duo tantum modo proferre mihi liceat: ABRAHAMI, SARAE, atque ISAACI, a parente ſuo immolandi, hiſtoriam ſtudio omitto. Hanc ſub SATVRNI, ANOBRET, ac IEHVD nominibus tectam eſſe, SANCHVNIATHON *u*), SCALIGER *x*), BOCHARTVS *y*), HVETIVS *z*), GALEVS *a*), WITSIVS *b*), qui IO. MARSHAMVM, huic refragantem ſententiae, refellit, demonſtrant. Interea idem ille ISAACVS imitationis exemplum edit, quam PHRIXI immolatio expreſſit. De qua quum FRID. STRVNZIVS *c*) in peculiari libello copioſe egit, nos, plura agere, poſſumus ſupersedere. Tamen conuenientiam, quae inter vtramque et ISAACI et PHRIXI intercedit, proponere, haud ſuperuacaneum putamus. Siue igitur ſpectemus ea, tum, quae ABRAHAMI ſacrificium aut antecedunt, aut comitantur, tum, quae excipiunt, haud abſimilia in PHRIXI immolatione contigiſſe, obſeruentur. Vtraque autem immolatio conuenit, quod ad perſonas immolandas attinet. Vtrimque mas eſt, vterque etiam adultae aetatis. De ISAACO notum eſt, de PHRIXO inde coniicitur, quod non ita multo poſt aduentum in regionem Colchidis cum AEETAE regis filia matrimonium iniit. Pater ipſius Thebarum regulus fuit, quoniam ABRAHAMVM etiam regem quondam fuiſſe, profanae gentes ſibi perſuaſum habuerunt. Quoniam audiuerant, ABRAHAMVM prius ex HAGA-

u) Apud EVSEBIVM lib. I, praeparat. euangel. cap. vlt.
x) Ad fragmenta graecorum p. 48.
y) In chan. l. 2. c. 2.
z) In demonſtrat. euangel. p. 701. edit. Francof. CIↃIↃCCXXII.
a) In atrio gentilium lib. II, p. 7.
b) In aegyptiacorum l. III, c. VII, p. 181, ſeqq.
c) In problemate mythologico, vtrum immolatio PHRIXI eadem ſit ac ISAACI nec ne? Vitemb. CIↃIↃCCXXI.

Digitized by Google

HAGARA filium suscepisse, etsi veram vxorem, SARAM habuit, quae postea, Deo ita probante, ABRAHAMVM, vt HAGARAM vna cum filio dimitteret, commouit, ATHAMANTEM IVNONIS consilio, quae et dea et femina simul est, dimisisse NEPHELEN, INONEMQVE, alteram coniugem duxisse, quae sterilitatis, Thebas vexantis, causa fuit, occasionem sibi poetae sumserunt fingendi; id quod ad tempus istud, quo ABRAHAMVS ob sterilitatem et annonae caritatem Aegyptum petere coactus fuit, commode satis referri posse videtur. Posthaec INO maritum hac fraude circumuenit, quasi oraculum praeceperit, nisi alterutra NEPHELES progenies diis immolaretur, mali minime finem fore, nec vrbem a sterilitate, nisi PHRIXI morte, liberatum iri; quo ipso in impiam sane fabulam verissimam ab flamine diuino commemoratam historiam scriptores profani conuerterunt. Etenim ipse Deus ABRAHAMVM eo adegit, vt filium vnicum offerret, atque hoc modo vniuersalem generis humani ab inferorum dominatu praefiguraret liberationem. INO, excogitata fraude, quo marito imponeret, et NEPHELES liberos e medio tolleret malo consilio, mutari nescia fuit. Namque attonitum et renitentem antea ATHAMANTEM querelis tandem vicit perpetuis, vt liberos suos ex campis per satellites arcesseret, praeterea vinctos, et locatos ad aram, diis iuberet sacrificari atque iugulari; quae fictio inde ensta est, propterea quod ABRAHAMVS voluntatem Dei atque amorem omni humanae felicitati ac φιλοσοφίᾳ praeferens, duobus in consortium adscitis satellitibus, ISAACVM vinctum arae superimposuit, Deo, quem ad modum praeceperat, eundem oblaturus. Vterque quidem arae, ad immolandum, impositus fuit, sed vterque inopinato consilio effugit mortem. Sicut enim ABRAHAMVS

angeli, veluti ministri diuini, praesentia ab sacrificii prohibebatur consummatione, qui arietem, dumeto implicitum cornibus, ipsi commonstrauit, quem etiam, quum mortis sententia iam reuocata esset, postea ISAACI vice Deo immolauit, ita hoc sane et nihil aliud poetae innuunt, quum, PHRIXO, in mortis iam constituto procinctu, MERCVRIVM, communem Deorum internuncium, arietem, cuius ope ausugeret mortem, attulisse, fabulantur. Verum postquam in regionem Colchos aduenisset saluus, neque iam quidquam de morte ipsi metuendum esset, arietem eundem fecit, deorum supremo, IOVI, sacrum. Praeter ea adhuc in eo quaedam inter PHRIXVM et ISAACVM inuenitur analogia, quod vterque libens mortem voluit sustinere. Vti enim ISAACVS, intellecto ex parte Dei consilio, non reluctatus fuit; ita etiam PHRIXVS, quum pater INONIS insidias edoctus fuisset, et consilium de mactando filio voluisset immutare, nihilominus sua hic se sponte obtulit, morte propria salutem ciuitatis vindicaturus. Quoniam ABRAHAMVS, cum filio in itinere constitutus, aliquod eius quotidie pensum absoluerat, eundem cum suis necessario alicubi noctis tempora quiescendo transegisse, non inepte hinc colligitur. At scriptores profani ad longe aliam cum personam, tum etiam tempus haec applicarunt diuersum. Etenim, PHRIXVM et arietem hospitio ab DIPSACO fuisse quidem exceptos, sed tum demum, quum iam in fuga ad Colchidis regem constituti essent, APOLLONIVS refert a). ISAACO IPHIGENIAM ad latus ponimus, in

a) Argonaut. lib. II, v. 654. seqq.

ἔνθα παροιθε
Δυσπλοτ. ἐ ἀθαμαντιαδαισι ὀπιδεπτο δομησιν
Θπποθ' ἁμα κριῳ φευγεσπολιν ορχομενοιο.

in cuius fabula aliquid historiae immolationis ISAACI simile deprehendi, IO. FRANC. BVDDEVS *e*) putat, et cuius sacrificium in numo quodam argenteo solido admodum atque luculento repraesentari, SAVBERTVS *f*) et CVPERVS *g*) tradunt, nam in eius parte altera IPHIGENIAE effigies cum epigraphe: ΙΦΙΓΕΝΕΙΑ ΑΓΑΜΕΜΝΟΝΟΣ, in altera eius immolatio cum titulo: ΕΛΛΗΝΩΝ ΚΑΛΛΙΕΡΗΜΑ, sistuntur. Quoniam et nomen et tempus quam optime inter se conueniunt, IEPHTHAE filiam Deo sacrificantis *h*), historiam huic fabulae comminiscendae ansam praebuisse, fuerunt, qui existimarint. Etenim quod ad nomen spectat valetque, IPHIGENIAM melius dici quasi IEPHTAE genitam, HVETIVS *i*) atque LAVRVS *k*) putant; quod ad chronologiam, IEPHTHAM, atque AGAMEMNONA eodem vixisse tempore, eruditi conueniunt. Complura ex rerum graecarum romanarumque, quin immo omnium paene gentium monumentis exempla proferre possemus, si particulatim vellemus ire, ex singulis sacrificiorum piacularium partibus demonstrare, sacrificia expiatoria, neque formaliter spectata, e gentium ruditate dimanasse, neque finaliter spectata, saeculi moribus suam debuisse institutionem, at nimis longum foret. Interea,

BREN-

e) In histor. eccles. V. T. T. I, Vol. I, p. 444.

f) De sacrif. p. 515. edit. TH. CRENII.

g) Observ. I, cap. XII.

h) Qui huius iudicis factum commentati sunt, multos laudat MICH. LILIENTHAL in bibl. archiuario A. T. ad lud. XI, 30—40. Addi possunt I. D. MICHAELIS im mosaischen Rechte P. III, p. 18, seqq. der Theologe aufs Jahr 1755, p. 414. FR. WILH. VOGELII progr. de voto IEPHTHAE in BIDERMANNI select. scholast. Vol. II, fasc. I, p. 250. FRID. GVIL. DRESDII votum IEPHTHAE ex antiquitate iudaica illustratum et sacris litteris conuenienter expositum, Lipsi. 1767. D. CHR. SIGISM. GEORGI progr. Vitemb. 1751. editum.

i) In demonstr. euang. p. 201.

k) In der Geschichte der Fabel, in Vergleichung mit der heil. Geschichte p. 356.

Digitized by Google

BRENTIO atque DORSCHEO iudicibus, satis testimonii sunt, commotas esse gentes promissione MESSIAE, quae in plurium animis altissimas egerat radices [l]), atque huius memores cogitasse, illum Deum, cuius iram MESSIAE posset expiare sanguis, humanis optime coli victimis, quibus tamen numinum arae funestabantur. Quam ob rem non frustra historiis ista mandata esse, optime hisce concludit verbis ORIGENES: *ει γαρ ταδε μεν υπο ελληνων ε ματην ισορηται, τα δε καλως περι των μαρτυρων ειρηται, περικαθαρματων τε κοσμε γενομενων και παντων περιψημα λεγομενων δια ταυτα απροσδοκητον, τι υπολημπτεον, και πηλικον περι τε αμινε θεε, δια τετο θυομενε, ινα αφη αμαρτιαν ουκ ολιγων, αλλ' ολε τε κοσμε, υπερ ε και πεπονθε.*

Verum hominum horum consilium quamquam fuit bonum, etenim numen propitium sibi reddere studuerunt, at tamen tantum abfuit, vt sibi reconciliarent, vt eius potius incenderent iram, quoniam eorum victimas detestabatur. Primum enim hominum sanguis magno apud Deum pretio fuit, ita, vt eorum sanguinis et ereptae vitae poenas ab omnibus bestiis expeti, et hominum inter ipsos necem in auctorem cuiusque vindicari, grauissime statueret, Gen. IX, 1. Statuit idem supremus legislator, si quis occisus in terra inuentus fuerit ruri, iacens, et nesciatur, abs quo sit occisus, iuuencam sumi, quae numquam agricolationi adhibita fuerit, neque iugum vexerit, eamque agi in vallem vastam, incultam atque inconsitam, et in ea valle eam decollari, Deut. XXI, 1—9. Quanti igitur hominem eiusque sanguinem Deus fecit, tanto magis eius immolationem atque sanguinis effusionem execratus et detestatus est, vt legem hac de re tulerit acerbissimam. Etenim iubet: Progeniem tuam ne dato traiiciendam Molocho,

Leuit.

Digitized by Google

Leuit. XVIII, 21. Quisquis Israelitarum vel inter Israelitas degentium peregrinorum, de sua progenie Molocho dederit, capite plectitor, lapidibus ab incolis obruitor. Eum ego hominem, ei infensus, de suorum numero tollam, vt qui de sua sobole Molocho dederit, et ita sacrarium meum polluerit, sacrumque nomen meum profanauerit. Quodsi incolae in eo homine, qui prolem suam Molocho dederit conniuentes, eum non interemerint, ipse ego tum ei, tum eius cognationi infestum me praebebo, et eum, et omnes, qui eius Molocho profiterint, de suorum numero exstirpato, c. XX, 2. Ne quis inveniтor in vobis, qui suum filium filiamue per ignem traiiciat. Deut. XVIII, 9. At non legibus solum, iterum iterumque repetitis cauit, sed facto etiam ipso Deus est testatus, quam exprobranda hominum ipsi sacrificia sint. Quam ob rem ACHAZO vitio ducitur, qui filium suum III Reg. XVI, 3. II Paralip. XXVIII, 3, Israelitis, qui filios filiasque III Reg. XVII, 7, MANASSAE, qui filios suos per ignem in valle *Hennomi* traiecerunt, II Paralip. XXXIII, 6, Iudaeis, qui exstruxerunt sacella Topheth, quod est in valle *Hennomi*, ad suos filios filiasque igne cremandos, id quod neque iussit Deus, neque ipsi venit in mentem, Ier. VII, 31. qui, relicto vero Deo, vallem filii *Hennomi* abalienarunt, suffientes in ea diis alienis, quos nec ipsi, nec eorum maiores, aut Iudaeae reges nouerant, eumque locum sanguine repleuerunt innocentum, exstructis Baali sacellis

ad

l) Testimonia de hoc dogmate collegerunt M. DAN. MÜLLERVS in disp. testimonia gentilium de Christo tradente Lipsi. 1698. TOB. ECKHARDVS in libro non Christianorum de CHRISTO testimonia continente, Quedlinb. 1725. IOSEPHVS ADDISON in Zeugnissen der alten Heiden und Iüden von der Wahrheit, Geschichte und Lehren unsers Heilandes, aus dem Englischen übersetzt von I. I. Sprengen, Zürich, 1745.

ad liberos ſuos igni cremandos, Baali victimas, quod ipſe non iuſſit, neque mandauit, neque ipſi venit in mentem, id quod odes centeſimae ſextae auctor repetit, populo exprobrans iudaico, ſuos filios et filias ſacrificaſſe cacodaemonibus, atque ita inſontem fudiſſe ſanguinem, videlicet liberorum ſuorum, quos Chananaeorum immolauere ſtatuis, quo ſanguine inceſtata terra eſt, c. 35 36. Quid vero cauſae fuit, quam ob rem Deus in ſacrificia humana odio accenſus fuerit? non modo, quoniam gentes id fecerunt, ſed quoniam ipſi Deo fuit perofum, quod gentes ipſae ſuos liberos diis ſuis igni cremandos dederunt, Deut. XII, 31. Quid tandem inde efficitur? peſſimum exemplum, nempe homines ſacrificare, Deum ſibi ad imitandum non propoſuiſſe in expiandis hominum peccatis per mortem ſui vnigenae filii cruentam. Itaque eximie collaudata συγκαταβασις, quae, vt accommodatio ad erroneos vulgi conceptus et diſputatio κατ' οἰκονομιαν, de quo diſputandi genere, poſt DALLAEVM in libello de vſu patrum c. 6. ſumme reuerendus RIBOVIVS, de iudicio autem ſuper eo ferendo diſſeruit Lipſiae CAR. AVG. BEYER, A. M. et hic quidem tam docte, tam accurate, vt meritam intelligentium laudem ferat, Vitembergae non Ienae, vti Reuſſius libello mox citando tradit, AVG. LEBRECHT. WILKIVS in diſſ. de genere docendi κατ' οἰκονομιαν, quod PAVLO apoſtolo tribuitur, Tubingae IEREM. FRID. REVSSIVS, de oeconomia, qua in docendo ipſe etiam dominus vſus eſſe dicitur; hodie multum valet, vacillat atque exſulat ex opere diuino de hominibus reconciliandi mm). Quum etiam victimarum caedendarum ritum crudeliſſimum atque ad numina expianda prorſus ineptum PORPHYRIVS

mm) Luculenter declarauit D. GOTTHILF TRAVGOTT ZACHARIAE in theol. Erklärung der Herablaſſung Gottes zu den Menſchen, p. 152.

Digitized by Google

RIVS n) habet; quum DIONYSIVS CATO o), hostias ad sacrificium praebere, si ipsi nocentes sumus, a re alienum putat, sibi effingere absurdum foret, verum numen ad profanarum gentium victimas sese accommodasse. Quum proinde neminis a consiliis fuit, ipsum auctorem redemtionis humanae veneramur, et si illum imperscrutabilis sapientiae fontem colimus, alterius aliquid exemplo facere, non indiget. Quare illi soli, beatae vitae architecto, omnem humanae salutis oeconomiam adscribimus, quam omnia veteris instrumenti sacrificia praefigurarunt, monadicum contra a MESSIA praestitum sacrificium acquisiuit, hanc praescriptionem sequimur, cultum abominantes electitium, et fide in Christum, ab Deo constitutum sacrificium, omnium gratiae bonorum participes fieri studemus. Haec praescriptio diuina omnis religionis christianae summa est et princeps diuinorum interpretum munus, quibus Deus reconciliationis et dedit administrationem, et orationem mandauit. Olim Vitembergae sacrificium missaticum incruentum, aqua lustralis, indulgentiae celebrabantur, verum abrogabantur, opera, studio, beneficio LVTHERI, qui Christum sacrificium cruentum, eiusque sanguinis largam profusionem veram animorum ab sordibus lustrationem introducere coepit. Huius vestigiis multi magni viri, quorum et perennia monimenta et merita in coetum puriorem maxima exstant, ingressi sunt, ex quibus IO. BVGENHAGIVM, POLYCARPVM LEYSERVM p),

n) L. II. de abstinentia.

o) L. IV, dist. XV. Quum sis ipse nocens, moritur cur victima pro te? Stultitia est, morte alterius sperare salutem.

p) Patrem GVIL. LEYSERI, doctoris et professoris theologi in academia nostrate, alumnorum electoralium et schulenburgicorum ephori, ecclesiae misenensis ingenuae decani, auctoris systematis theticoexegetici, quod post dimidii fere saeculi decursum ex variis manuscriptis, diligenter inter se collatis, edidit IO. GE. NEVMANNVS. Syste-

Digitized by Google

DAV. VOITVM q) AEGIDIVM HVNNIVM, FRIDERICVM BALDVINVM, ABRAHAMVM CALOVIVM, BALTHASAREM BEBELIVM, GOTTLIBIVM WERNSDORFIVM, CAROLVM GOTTLOB HOFMANNVM, nominare licet, viri, quos dignos laude musa vetat mori, caelo musa beat, viri, qui viuunt viventque semper, atque etiam latius in memoria hominum et sermone versabuntur, postquam ab oculis recesserunt.

Systematis autem theticoexegetici nomine hoc opus venit, quia, I. F. BVDDEO iudice in isagoge historico-theol. p. 355. vniuersam theologiam auctor hoc ordine tradidit, vt dicta, sedes doctrinarum complexa, ex codice sacro vtriusque foederis, centurias conficientia quatuor, depromeret, selecta, ea, licet plerumque breuius, explicaret, vimque et efficaciam, dogmata probandi, inde erueret. Venerabilis WALCHIVS in biblioth. theol. sel. T. I, §. X, p. 147. et T. IV, §. XIV, p. 845. in eorum illum non retulit numerum, qui ad dicta classica, quem ad modum adpellantur, eam operam contulerunt, vt ea non solum interpretarentur, sed etiam monstrarent, quae dogmata fidei istis contineantur; qualis in iisdem insit probandi vis.

q) Antea antistitem ienensem, v. GODOFR. ALBIN VON WETTE euangelisches Iena, p. 91.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO VII.

IN QVA CONTINETVR

COMMENTATIO EXEGETICA

ΕΠΙΣΚΟΠΟΝ ΜΗ ΝΕΟΦΥΤΟΝ

AD 1 TIM. III, 6. EXPLICANS.

Digitized by Google

Digitized by Google

I. N. I.

In verba diui Paulli, quibus priori ad Timotheum ſuum epiſtola Cap. III. a commate 2. veri dignillimique Epiſcopi effigiem, viuis quaſi coloribus, depinxit, et praeprimis in verba commat. 6. Μὴ νεόφυτον, paucula pro viribus iam diſſeram; quum alio iam tempore aliisue occaſionibus, in duabus in lucem editis commentationibus verba verſ. 2. Δεῖ οὖν τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι, μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, expoſui. Ad ipſam vero verborum allegatorum explicationem ſtatim me accingam *). Faxit Deus optimus maximus, vt omnia vergant ipſius in ſummi nominis gloriam et eccleſiae noſtrae ſalutem.

§. I.

*) Nulli mihi commentatores, in huncce locum, cogniti ſunt, in ſpecie tales, praeter D. IOH. IVST. KISKERVM P. P. Rintelienſem in diſſertat. de Neophytiſmo licito et illicito ex praelectionibus ad 1 Tim. III, 6. Rintelii 1712. D. BERNH. DE SANDEN in diſſert. theol. de Neophytis ad Miniſterium verbi div. non admittendis, occaſione Dict. 1 Tim. III, 6. Regiomonti 1709. M. FAVL. SCHEIDLICHIVM V. D. Miniſt. *zu Mansfeld* in Tract. de officio Epiſcopali, *nach Anleitung* 1 Timoth. III, 1. ſq. *Schmalkalden* 1589. vid. M. GEORG. IAC. SCHWINDELII *vollſtändige und reelle Prieſterbibliothek* p. 683.

Digitized by Google

§. I.

Qui huic commentationi inscribitur titulus, TIBI, beneuole Lector! sistit ἐπισκοπὸν μὴ νεόφυτον. Si fortasse huius electi argumenti ex me quaeris rationem: responsionem meam, minime celandam, habebis in promtu: hanc in nostri seculi atque potissimum periodi, qua viuimus, nouatoribus, in Protestantium ecclesia, hinc et illinc, alibi atque alibi, proh dolor! resurgentibus, deprehendes. Omni omnino iure illos appellauero resurgentes. Nemo enim, nisi historiae plane expers ecclesiasticae et primae et mediae et nouissimae aetatis atque sententiarum nonnullorum ecclesiae doctorum ignarus, qui iam vitam degunt, inficias ibit, nihil fere ab iis dici atque doceri, quod non sit crambe quasi bis cocta, et ab aliis orthodoxis doctoribus multoties satisque refutatum. Sed propius nunc ad rem ipsam.

§. II.

Quum de Subiecto Episcopo in prioribus commentationibus nostris, multisque aliorum eruditorum scriptis sufficienter disputatum sit, ad quod omnia praedicata sequentia sunt referenda, in praesens modo illam dignissimi Episcopi qualitatem quam diuus Apostolus commat. 6. praedicato μὴ νεόφυτον indicare vult, qualis sit, exponemus. Vocabulum hoc νεόφυτος, in toto nouo Testamento semel occurrens, ex νέος et φυτὸς compositum, natiua sua significatione denotat recens satum, seu implantatum; in sensu ergo metaphorico nouitium. Sed quaestio inde paullo altior moueri potest; quidnam vir illuminatus, secundum sensum Spiritus S., per illud vocabulum intelligi voluit. In diuersas, minime vero gentium, sibi con-

Digitized by Google

contradicentes, ſententias interpretes abeunt. Prolixius de eius ſenſu primario SYICERVS Tom. II. p. 395, teſtante nobis HEVMANNO, tractauit. Et ille acutiſſimus S. S. interpres in explicatione N. T. Tom. IX. p. 202. per νεόφυτον recens conuerſum intelligit, ſeu talem nouitium, qui nuper ex Gentilismo vel Iudaismo ad Chriſti eccleſiam, quae ſaepiſſime in ſacris litteris, cum agro, horto, aut vinea comparatur, acceſſit, et quaſi in eam inſitus, ſeu implantatus ſit. Conſentiunt in iſta interpretatione BEZA, ARIAS MONTANVS, VORSTIVS, IOANNES CLERICVS in verſione Gallica ad h. l. Qu'il ne ſoit pas neophyte (nouvellement planté, ou nouvellement converti au Chriſtianisme) ſic etiam TIRINVS et MENOCHIVS. ERASMVS vero intelligi mauult nuper baptizatum, cui album adiiciunt calculum VATABLVS, ESTIVS, MENOCHIVS, HAMMONDVS et GLOSSAE per νεόφυτον intelligentes προσήλυτον. CHRYSOSTOMVS per νεοκατήχητον, ſeu doctrinis eccleſiae Chriſtianae non ſatis imbutum explicat. Verum enim vero, quis non ſentit, diuerſas illas explicationes omnes in eo conuenire, quod per νεόφυτον, recens Chriſtianorum conuerſus adultus, ſatis in fundamentis religionis ſanctiſſimae, pro more primaeuae eccleſiae, inſtructus et tandem ſacro baptismatis lauacro intinctus, atque nunc in eccleſiam plane inſitus, ſit intelligendus.

§. III.

Adſtipulamur etiam, noſtra ergo ex parte, ſententiae HEVMANNIANAE. Luce enim meridiana clarior veritas huius explicationis ex verbis proxime ſequentibus adparet: ἵνα μὴ τυφωθεὶς εἰς κρῖμα ἐμπέσῃ τοῦ διαβόλου. Subiungit hiſce verbis Apoſtolus ille ſanctus rationem, cur Epiſcopus non ſit

Digitized by Google

νεόφυτος, duplicem. Primam ne sit τυφωθεὶς, inflatus; seu secundum vulgatam, ne in superbiam elatus etc. Quid enim frequentius fieri solet, magisque experientia testatur, quam quod isti homines, qui celerrime in altum tolluntur, in superbiae vitium dilabantur? Alteram ne eiusmodi recens conuersus ad dignitatem episcopalem maturissime elatus, cristas deinde erigens, gregem vt δεσπότης, regat et exinde diabolus occasionem arripiat, tam gregem sibi demandatam, quam etiam infideles, qui extra ecclesiam sunt, incitandi, vt perperam eum iudicent, ac opprobriis et calumniis ipsius personam, officium et sanctissimam religionem ipsam afficiant: nonne enim diabolus in filiis incredulitatis operatur? Ephes. II, v. 2. nonne infideles etiam causae ministeriales operationum diabolicarum; ille vero ipse causa principalis omnis mendacii atque calumniarum in sacris litteris 1 Ioh. III, 8. et Ioh. VIII, 44. declaratur? en rationes! cur Episcopus non sit recens ecclesiae insitus, seu νεόφυτος, grauissimas atque sufficientes. Eam ob caussam scribit etiam HIERONYMVS *): ignorat enim momentaneus sacerdos humilitatem et mansuetudinem rusticorum, ignorat blanditias Christianas, nescit se ipsum contemnere.

§. IV.

Sunt alii qui huic explicationi obiiciunt, inter quos praeprimis D. IO. IVSTVS KISKERVS, Professor quondam S. S. Theologiae Rintelienſis in dissertat. de Neophytismo licito et illicito: ipsum Paullum et discipulum suum Timotheum, aientes, etiam fuisse neoconuersos Episcopos. Sed respondemus; primum quod attinet, ille non tam Episcopus, quam potius Apostolus fuit, vir diuinitus illuminatus, seu νεόπνευστος, i. e.

*) Epist 8. ad Oceanum.

Digitized by Google

i. e. donis, post conuersionem suam, extraordinariis Spiritus S. adornatus, de altero vero scimus: eum a pueritia Christianae ecclesiae fuisse et implantatum, et a doctore suo in sacris litteris satis eruditum, quid, quod? ab ipso Paullo ad grauissimum sanctissimumque Episcopi officium suscipiendum, permultos annos praeparatum, et, sine omni quoque dubio, donis extraordinariis instructum. Ab iis ergo exemplis non valet consequentia HEVMANNIANAE interpretationi aduersa. Quis enim est? qui nesciat: temporibus primaeuae ecclesiae subsequentibus, eiusmodi extraordinaria cessauisse dona. Sic etiam nostrae explicationi non aduersatur hortatio Apostoli ad fidelem orthodoxae fidei suae filium Cap. IV, 12. nemo tuam iuuentutem contemnito, nec locus parallelus ex Ierem. Cap. I, v. 7. nam per νεόφυτον intelligitur nec recens natus, nec iuuenilem aetatem agens, sed recens conuersus. Licet non negandum sit, consilium etiam ex hisce verbis Paullinis deduci posse; quod ad ministerium verbi, quia munus graue et perdifficile, non sit properandum. Qua ex ratione in primitiua ecclesia Episcopus et Presbyter non poterat ordinari infra tricesimum aetatis suae annum. Illam legem et consuetudinem ecclesiasticam posterioribus temporibus confirmauit Nouella CXXIII. Cap. 13. *)

§. V.

Idem ille allegatus KISKERVS, in dissertatione citata, effatum istud Apostolicum, Episcopum non debere esse νεόφυτον, ita vult intelligi, vt ne sit nouitatis, neque in doctri-

*) Plura de hac materia legi merentur in celeberrimi beat. DEYLINGII Instit. Prudent. Pastoral. edit auct. per illustr. KÜSTNERVM Part. I. Cap. II. §. 2. p. m. 113.

Digitized by Google

malibus, neque in ritualibus, vel receptis loquendi formulis, ex φιλοκαινια et φιλονεικια quadam ſtudioſus, ſeu cupidus. Rationem huius explicationis poſuit, partim in ſubſequentibus Apoſtoli verbis: ἵνα μὴ τυφωθεὶς εἰς κρίμα ἐμπέσῃ τοῦ διαβόλου, partim, quia ille gentium Doctor alibi ſerio inculcat, vt deuitentur κοινοφωνίαι, totusque in eo tunc temporis erat, quum hanc ſcriberet epiſtolam, vt Neophytiſmum Pſeudofratrum in Theologia et Philoſophia, quos exſcindi cupiebat, ob Syncretiſmum religionis Chriſtianae et Iudaicae, confutaret atque a limine et miniſterio eccleſiae Chriſtianae arceret. In ea namque inciderant tempora Chriſtiani, vt nonnulli Neophyti circumciſionem receptam retinendam eſſe docerent, et ratione abutentes vanam ex gentiliſmo hauſtam docerent Philoſophiam. Etſi vero poſterius lubentiſſime largiamur, prius tamen haud concedere poſſumus. Diabolus enim nec iudicat pſeudo-doctores, nec calumnias in illos excitat, ſecundum ſanctiſſimi Doctoris noſtri effatum Luc. XI, v. 18. εἰ δὲ καὶ ὁ σατανᾶς ἐφ' ἑαυτὸν διεμερίσθη, πῶς σταθήσεται ἡ βασιλεία αὐτοῦ; ſed multo magis ſeditionem atque ſchiſmata in eccleſia concitare et pſeudo-doctoribus, miniſtris ſuis, vti illorumque erroneis doctrinis applauſum parare ſtudet. Hac ex cauſa KISKERO, alias interpreti acuto et orthodoxo, non in eo adſentiri poſſumus; quod eius explicatio et omnium eorum qui, in explicando hocce dicto, cum eo conſentiunt, proprium exhauriat ſenſum.

§. VI.

Attamen vero non plane abnuimus, hanc interpretationem doctiſſimi KISKERI, etſi ſenſui proprio, ſeu litterali et ſcopo primario ſancti ſcriptoris non ſit conueniens, per bonam

Digitized by Google

nam tamen, vt exegetae loqui amant, consequentiam, ex nostra explicatione, facillimo posse deduci modo. Satis enim superque nos docuit et adhuc docet experientia tristissima, ab eiusmodi doctoribus ecclesiae recens conuersis, nec satis in religionis Christianae doctrinis et mysteriis eruditis, nec satis ratione morum vitae probatis, nec satis tentatis, sed nimis mature in Apostolorum quasi cathedras elatis, grauissimos atque pernicioſissimos errores originem traxisse suam. Nacti enim summam in ecclesia dignitatem, efflati animo, ex pruritu inclarescendi nouitati studuerunt. Hinc illae lacrimae! ante et post beati LVTHERI nostri purioris fidei doctrinae restitutionem.

§. VII.

Non illis quaestionibus quas diuus Paulus μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους adpellat *) quaestio illa adnumeranda, sed potius et scopo huius dissertationis, et tempori accommodata mihi videtur: num omnis, sine discrimine, Neophytismus in ecclesia sit damnandus? simpliciter hanc quaestionem negaturum, vt cum ERASMO Roterodamo loquimur **) dignum iudicamus, qui nunquam mutet veteres calceos, semper vescatur putribus ouis, nec aliud bibat quam vappam. Accurate cogitateque hanc litem diiudicaturo necesse est, bene distinguat.

§. VIII.

Neophytismus aut Theologiam naturalem respicit, aut reuelatam impugnat. Si prius, omni iure illicitus appellari meretur. Fieri vero hoc potest iterum diuerso modo, vel di-

*) 2 Timoth. II, 23. **) In Coll. de Reuchlino.

recte, vel per indirectum. Priori in casu, siue essentiam religionis sanctissimae, seu articulos fidei fundamentales tollit, siue fundamentum salutis eiusque ordinem in verbo diuino praescriptum, et media, et fines impugnat. Si hoc, omnis omnino eiusmodi Neophytismus est damnandus. Indirecte vero Neophytismus aduersatur doctrinae salutari, si ex doctrinis nouis, sententiis, assertionibus et litterarum sacrarum explicationibus, consequentiae oriuntur manifestae, aut naturali aut reuelatae de Deo scientiae repugnantes; adeoque et hic Neophytismus indirecte talis omnino est taxandus. Id quod testantur diuina effata 1 Timoth. VI, 3. 2 Timoth. I, 13. 2 Petr. I, 10. 1 Petr. IV, 2. 1 Cor. IV, 19. 2 Timoth. II, 16. 2 Pet. II, 18. Nec, nisi omnia me fallunt, eiusmodi Neophytis spargentibus nouas doctrinas, non attendendo ad ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων, nulla accidit iniuria, si in Pseudo-prophetarum numerum referuntur Matth. VII, 15.

§. IX.

Verum enim vero datur etiam Neophytismus, qui omnino licet, haud quaquam Theologiae et naturali et reuelatae obstans, sed maxime vtilis et conueniens. Fieri enim potest successu temporis, vt in ecclesia vera et pura, quemadmodum olim factum est in ecclesia Dei, ante et post diluuiana, Iudaica et deinde etiam in ipsa Christiana, instinctu inflatuque diaboli atque carnis, non satis vigilantibus doctoribus, pseudo-doctrinae, errores, abusus, quid, quod? scandala et vitia grauissima practica et irrepant et inuetereſcant. Sed excitantur a summo ecclesiae suae gubernatore, post aliquod temporis interuallum, diuinitus inflati, scientia ac prudentia, animoque heroico adornati doctores, ad restituendam

coele-

Digitized by Google

coeleſtem atque aeternam doctrinam ſalutaresque veritates, contra vero ad abrogandos errores inueteratos et vitia dominantia indiesque ingraueſcentia: nonne eiusmodi Neophytiſmus licitus habendus ſit? Nemo ſana ratione praeditus, multo minus vere a Spiritu Sancto illuminatus, illos viros, Noam, Patriarchas, Moſen, Nehemiam, quid quod? ſanctiſſimum ſeruatorem ipſum et denique beatum noſtrum Lutherum, aliosue doctrinae purae aeque ac vitae ſanctae reſtitutores, Neophytiſmi illiciti accuſabit. Quo minus enim architectus ſapiens, domum, aut palatium temporis longinquitate deformatum, deuenuſtatum et ruinae proximum, reficiens et ad priſtinum ſtatum reſtituens, aut hortulanus ſarmenta ſuperflua atque inutiles ſtolones amputans, ſiue Zizanias ſpinasque ex ſegetibus eruncans, commiſſi criminis arguitur, eo minus, pari ex ratione, doctor eccleſiae, cui puritas doctrinae et vita hominum ſancta curae eſt cordique, Neophytiſmi pernicioſi argui poteſt.

§. X.

Sic etiam non ad Neophytiſmum illicitum pertinet, ſi in eccleſia nouae diſciplinae et ordines, aut nouae ceremoniae temporibus ac piis deſideriis, temperamentis et nationibus accommodatiores et vtiliores, ad deuotionem internam in cultu ſacro magis excitandam et conſeruandam, et ad promouendos bonos mores inducuntur, contra vero vitia atque facinora in eccleſia increbreſcentia magis coercentur. Attamen vero, nec quicquam eorum non auſu priuato, ſed eccleſiae, aut vniuerſae, aut ſaltem prouincialis conſenſu fieri poteſt; etiamſi neceſſe ſit, vt in introducendis eiusmodi nouis inſtitutis eccleſiaſticis, doctores prudentia pariter, ac pietate ornati

ornati atque experti, ecclesiae sint a consiliis. Qua ex caussa etiam litteris confirmationis antistitum sacrorum in Electoratu Saxonico haec inseruntur verba: *Daß die Superintendenten, ohne Vorwissen und Einwilligung der höchsten Landesobrigkeit, wieder das Herkommen Neuerung in Kirchen-Disciplin und Ordnungen, oder sonst, nicht einführen sollen.* Insigni vero nobis atque laudabili exemplo eiusmodi Neophytismi liciti nostris temporibus esse potest, recens in Saxonia Electorali, consensu et ex mandatis *Sereniſſimi Electoris nostri* FRIDERICI AVGVSTI introductus ordo scholasticus, a doctissimis et experientissimis ecclesiae nostrae doctoribus compositus, qui anno Seruatoris nostri MDCCLXXIII. Dresdae in lucem publicam prodiit.

§. XI.

Nec illos Neophytismi illiciti arguendos esse arbitramur, qui nostris temporibus Theologiae Systemata a Scholasticorum inutilibus terminis *), subtilitatibusque contortis et aculeatis sophismatibus repurgare studeant, aut dicta scripturae sacrae, non satis recte a patribus quibusdam, aliisque doctoribus veterum intellecta, posterioribus temporibus vero accuratius explicata, idque nunc non probantia, quod probare debebant, relegant eorumque in locum alia ponunt. Si enim aperte atque perspicue, sufficiente ex ratione demonstrari possit, quod interpretes in superioribus temporibus viuentes doctissimi etiam ac celeberrimi, in huius vel illius dicti explicatione erraverint: quis est? qui inter nos adhuc tam superstitiosus sit, vt in erroribus etiam vestigia patrum sequi, necesse esse

*) Inutilibus modo diximus etsi non omnes terminos technicos qui ad bene distinguendum conducunt reiicere volumus.

Digitized by Google

esse credat? Nonne notum est nobis? errauere patres — aut fortasse tempora cessauere? in quibus regula sanctissimi doctoris non amplius sit obseruanda: ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς *) quod non idem est, ac omnes patrum ac maiorum (viros modo excipio θεοπνεύστους) interpretationes et explicationes sacrae scripturae, sine omni cura ac trutina, num verum sensum huius vel illius dicti aut orationis rite explorauerint nec ne, pro veris habere; sed denotat aliquid summa industria, summoque studio et attentione inuestigare, scrutari **) quod proprium metallifossorum aut venatorum est. Eo in sensu ipsi Apostoli illos ex Beroensium discipulis laude digniſſimos iudicarunt, quotidie scrutantes scripturas sacras, num se haberent ita haec quae docti ab illis fuissent. Act. XVII, v. 11.

§. XII.

Quidnam vero de iis censendum sit, qui nostra temporis periodo, omnia ferme dicta probantia diuinitatem Seruatoris in gratiam Socinianorum interpretantur, aut ipsius, vice nostrum, Deo placando praestitam obedientiam et actiuam et passiuam, adeoque ipsius satisfactionem, siue ex parte, siue ex toto negant ***)? quid de iis sentiendum, qui obsessionem diabolorum temporibus Christi carnalem, eorumque eiectionem

*) Ioh. V, 39.

**) Vid. celeberr. beat. STOCKII Clav. ling. sanct. Nov. Test. cura doctissimi FISCHERI edit. p. 412.

***) Neminem appellaui, ex modestia viris alias doctissimis atque celeberrimis debita. Sed satis omnibus constant ex relationibus publicis sententiae nonnullorum Theologorum nostrorum, a libris nostris Symbolicis diuersae.

Digitized by Google

nem a Chriſto, ex obſeſſis, de morbis naturalibus et ſanatione ab hiſce morbis intelligi volunt, et diabolum ipſum e medio tollere ſtudent,*). quid tandem de iis iudicandum qui Naturaliſmo, aut Indifferentiſmo aut ſaltem tolerantiae **) fauent ſcripturam ſacram non ex ſcriptura S., ſed ſententiis et praeoccupatis opinionibus ſuis conuenienter exponunt, illamque, vt explicationibus ſuis aliquem cultum et ornatum addant, ſaltem fucatum, huc et illuc flectunt et calamiſtris ſuis criticis contorquent; aut ſi nodos gordios in explicando non diſſoluere poſſunt, ferro ſecare, i.e. ex ſacro codice remouere audent? Num iſti doctores eccleſiae Chriſtianae, in apoſtolorum cathedris ſedentes, etſi non ex ſcopo diui Paulli primario, tamen ſecundario, νεόφυτοι, non quidem recens eccleſiae inſiti, aut doctrinis euangelicis imbuti, ſed tamen nouatores, nouaturientes (*Neulinge*) merito taxandi, partim directe, partim indirecte tales, aeſtimandi ſint: Hoc aliorum celeberrimorum et

*) Conf. *Unterſuchung über die Bedeutung des Wortes Satan und Teufel in der Bibel. Aus dem Engliſchen überſetzt von* IO. CHR. FR. SCHVLZ. *Leipzig* 1774.

**) Quorum anteſignanus eſt IOANNES CLAVDIVS HADRIANVS HELVETIVS, qui omnes errores, etiam peſtilentiſſimos, tolerandos eſſe docet. Molliori vero via tolerantiae incedit F. G. LÜDKE conf. beat. I. G. WALCHII Lexic. Philoſophic. a Viro illuſt. L. C. HENNINGS auctum Pars I. ſub artic. *Intoleranz* p. 2082. ſq. vbi ille acutiſſimus Philoſophus doctiſſime ad refutandum hancce tolerantiam, diſtinguit, inter tolerantiam et conſcientiae libertatem errantium, et inter tolerantiam errorum. Primum eſſe humanitatis, alterum vero contradictorium veritatem amantis et praecipue religionem chriſtianam docentis doctoris. Porro aliud eſſe libertatem conſcientiae in ſentiendo, aliud vero libertatem in docendo ſententias a libris noſtris ſymbolicis diuerſas, quam ſibi ſumunt eccleſiae Chriſtianorum nonnulli doctores. Poſtremum repugnare, affirmat, prudentiae Theologicae, praeprimis, ſi aliorum libertas conſcientiae eo modo offenditur. Plura de hac materia inueniuntur in eodem Lexic. ſub voc, *Gewiſſensfreyheit, Gewiſſenszwang.*

Digitized by Google

et TVO praeprimis Vir Magnifice Summeque Venerabilis iudicio et acutiſſimo et prudentiſſimo ſubiiciam. Hoc vnicum modo addam: videntur mihi iſti Theologi Nouatores, ad illos meliori iure pertinere doctores ad quos quaeſtio illius Achabi adplicanda 1 Reg. XVIII, 17. num vos illi qui turbatis Iſraelem? et valde timeo, ne eadem certa atque tranquilla conſcientia, vt ille Propheta Elias, reſpondere valeant: non turbamus Iſraelem com. 18. Satis enim ſuperque nos docet triſtiſſima experientia, quaerelas iam audiri inter verbi diuini miniſtros: bone Deus! ſanctiſſime Doctor et Paſtor Chriſte! neſcimus fere praecones euangelii tui, quaenam explicatio verbi tui ſit vera, vel falſa: trahunt enim celeberrimi noſtri doctores ſacras litteras in diuerſas ſententias *). Etiam hoc ſcimus, Politicos noſtros religionem Chriſtianorum et verbum diuinum, quoad maximam illorum partem, illudere, ipſi doctores noſtri, inquientes, nec certi ſunt quid credant. Quid, quod? plebs Chriſtiana inter ciues atque paganos contemtores et illuſores ſanctiſſimae religionis fiunt. Propagatur ille religionis contemtus, a nobilioribus dominis et heris ad ſeruos ancillasque menſae miniſtrantibus. Conuerſantur hi cum aliis inferioris conditionis hominibus, blaterant de iis ſermonibus qui in deſpectum fidei Chriſtianae auditi ſunt, lippis atque tonſoribus primum noti fiunt, et quid mirum? deinde toti vulgo. Bone Deus! in quae tempora nos reſeruaſti. Sat ſapienti! vbinam, Doctores eccleſiae, Patres fratresque in Chriſto honoratiſſimi, dilectiſſimi! vbinam manet veſtra prudentia theologica?

*) *Ihr Herz nichts eines Sinnes iſt, in Gottes Wort gegründet: der wählet dies, der andre das, ſie trennen uns ohne alle Maas etc.* Sic ex elegia beat. LVTHERI cantare, eandem, noſtris, vt ſuis temporibus habemus rationem.

Digitized by Google

§. XIII.

Interea tamen, rebus etiam in ecclesia nostra sic stantibus, certi atque conuicti sumus, quod verbum Dei sit veritas et maneat in aeternum. Posita, iuxta opposita, magis semper eluceſcunt. Gloria, laus et gratia sit tibi, supreme ecclesiae tuae gubernator! qui nobis adhuc semper per spiritum sanctum tuum vere illuminatos excitasti doctores, quibus ὑποτύπωσις τῶν ὑγιαινόντων λόγων ante oculos est posita. 2 Tim. I, 13. καὶ ἀντεχομένους τῆς κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου, ἵνα δύνατοι ὦσι καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν Tit. I, 9. Nunquam, de te, summum ecclesiae caput! speramus, desistes, sanguine tuo fundatae ecclesiae tales excitare doctores. Ex toto tamen pectore optamus, vt omnes ecclesiae euangelicae doctores verbique diuini ministri dissertationem beati nostri DEYLINGII de prudentia pastorali, nostris diebus, recordentur et allegata in illa MATTH. FLACII verba, ex Part. I. Clau. S. S. p 1304. lin. 62. bene ponderare velint: Multi, inquit, vigilantes dormiunt, dum sunt negligentes, et contra dormientes vigilant, dum alioqui sedulo in puram doctrinam et piam vitam intenti sunt.

EXER.

Digitized by Google

EXERCITATIO VIII.

COMMENTATIONEM
IN
HYMNVM DAVIDIS
REGIS XVI
SISTENS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Constitui iam, pro exiguitate ingenii, breuiter quaedam de sensu atque argumento, deinde de verborum vi hymni XVI hymnorum Dauidis regis differere, quae ita publico examini submitto, vt velim idoneum quendam eorum, quae dicturus sum, experiri iudicem. Iudicum quidem, qui sponte se obtrudunt, praesertim in rebus ad intelligentiam sacri codicis facientibus, quarum quisque sibi videtur habere arbitrium, inopiam queri hodie quidem non licet; at aequorum et idoneorum iudicum fortasse pauciſſimi inueniuntur. Neque ego dubito, fore plerosque, qui hanc, quam sequor, interpretandi rationem, superstitiosam, illiberalem, absurdam, coactam, ex systemate conflictam iudicent, neque piam et prouidam hanc meam interpretandi rationem huic nostro seculo conuenientem habeant, cum legerint, me in hocce Psalmo Messiam, quem illi pauciſſimis in locis Veteris Testamenti videre iactitant, reperisse. Verum vtcunque res se habeat, tamen ego, quae mihi videntur esse certa atque vera, eodem, quo ipsi vtuntur, iure proponere posse duxi: neque ad veritatem dictorum magnum supercilium aliquid facere putaui. Modeste igitur, quae sentio, proferam.

Atque

Digitized by Google

Atque ante omnia hoc monendum putaui, me iam ignorare, quo auctore primum in hanc meam, quam proferam, sententiam, olim sim deductus. Tantum hoc memini, me olim legere aliquem librum, in quo libro ea interpretandi ratio, quam in hoc hymno sequor, adhibita fuerat. Librum ipsum nec habeo, nec eius nomen recordor. Hoc scio, me doctoris illius sententiam, quae mihi valde arrisit, meam feciſſe, deinde quibus forte argumentis firmari possit, vlterius quaesiuisse: exinde, confiteor, primas iam ante decennium descripsi lineas huius tractationis, quarum latiorem digestionem tunc temporis in datam aliquando occasionem differebam. Postea mihi Venerabilis CRVSII interpretatio huius Psalmi, quae in P. II. Theologiae propheticae p. 416. seqq. extat, dubia quaedam excitauit, sed quae meo quidem, exiguo quamuis iudicio, tanti non essent ponderis, vt a prima notione me possent deiicere. In tanta, qua paupertas mea premitur, librorum maiorum paucitate nihil habui, quod legere, meisque cum cogitatis conferre potuerim. Igitur, exceptis illis primis lineis, de quibus iam dixi, et quarum quantum mihi debeatur, quidue illi iam ignoto autori, dignoscere nequeo; ea quae dicturus sum, a me cogitata et tractata sunt.

Neque hoc consilium habeo, vt Viri summe mihi colendi, CRVSII, Praeceptoris mei, dicta perstringerem, eiusque sententiam refellerem; hoc solum mihi sufficiat, vt dicam, quod sentiam *).

Nunc ad rem ipsam accedam. Mea quidem sententia Hymnus Dauidis decimus sextus continet *Consolationem Messiae*

*) Cum iam plane perfecta esset haec mea scriptiuncula, occurrit mihi vlterior particula commentationis, quam Venerabilis Theologus Ienensis, ZICKLERVS, in hunc Psalmum aliquot programmatibus academicis luci dedit, qua igitur vti mihi non licuit, id quod valde doleo.

Digitized by Google

siae propheticam de contemtu, quem a Iudaeis perpessus est. Secundum hanc sententiam comma I. adscribo loquenti Messiae in statu κενώσεως; integram orationem sequentem a com. 2. vsque ad comm. 4. tribuo contemnenti Iesum Christum ecclesiae s. Synagogae iudaicae; quae restant a com. 5. vsque ad finem, omnia a Dauide in persona Iesu Christi dici credo.

In hanc sententiam vt ignoto illi autori consentirem, mouit me foeminina persona תֵּ אִמְרָה com. 2. quae mihi semper visa est requirere, vt loquentes distinguantur diuersi generis personae, nec a me impetrare possum, quin nimis durum mihi videatur illud, ad quod alii interpretes confugiunt, soliloquium Messiae animum suum alloquentis: accedit, quod commata 2. 3. 4. eiusmodi res contineant, quae in ecclesiam iudaicam, qualis tunc temporis erat, cum Iesus repulsam tulit, optime cadunt, facilemque ex moribus illorum Iudaeorum inueniant interpretationem, caeterisque Messiae in hoc hymno dictis, vberiorem lucem largiantur.

Verum vt tota mea sententia eo facilius intelligi queat, liberiorem addam totius hymni translationem.

„Dulcissimum solamen Dauidi praestitum. Prouide mi„hi, fortissime Deus: nam in TE solo omnis mea fiducia po„sita est. C. 2. TV quidem (o Synagoga Iudaica) sic effari „soles Iehouam: Dominus meus TV es: quicquid ad salutem „meam requiritur, praeter TE nuspiam gentium quaero. „c. 3. Sanctos enim homines, si in terrarum orbe desideras, „hic habes inter meos: si magnificos postulas, adsunt, qui„bus ego quam maxime delecter. c. 4. Augeantur itaque „illorum (apostolorum et christianorum) miseriae, quicun„que alterum (Iesum) insano impetu sequuntur: ego quidem

„libaminum, quae illi de humano sanguine offerunt, non cu-
„pio fieri particeps; imo ne nomina quidem illorum labia
„mea transiliant. c. 5. Iehouah, TV mihi portio atque hae-
„reditas (optimum quodque) esto; TV mihi perfectissimam
„designasti sortem, (familiam sanctam). c. 6. In amoenissi-
„mis cultissimisque terrae regionibus electa e genere humano
„familia mihi dicatur: pulcherrimam haereditatem nactus sum.
„c. 7. Laudabo propterea Iehouam, quod optime mihi consu-
„luit: atque sic omnia ex intimo cordis voto, bene euenient.
„c. 8. Semper enim mihi ob oculos versatur Iehoua, vt eius
„vestigia premam: propterea et eius auxilium mihi praesto est:
„nunquam a spe deiiciar. c. 9. Laetor itaque toto corde,
„glorificatus exultabo: tantum non caro mea tuto requiescet.
„c. 10. Non enim linques animam meam τῷ Scheol: nec
„Sanctum tuum trades, vt experiatur corruptionem. c. 11.
„Imo redux mihi tu eris ad vitam: plena gaudia ad satietatem
„vsque et omnis generis deliciae apud TE sempiternae me
„beabunt.

Nunc explicationi operam dabo. Hymnum hunc non de persona Dauidis praecipue agere, quanquam ad eius regis calamitates accommodari potuerit sicque ipsi solamen afferre, sed ad Messiae fata prospicere, inter interpretes opinionum prauitate non corruptos omnino conuenit: ea, quae c. 9. et 10. proferuntur, in Dauidem nullo modo ita cadunt, vt plenum, et qui verborum potestati satisfaciat, euentum in Dauide nacta sint. Nam et sepulcrum Dauidis primo ab Assyriis, deinde a Romanis inquietatem, et cadauer eius corruptionem omnibus communem expertum est. Videant, qui aliter statuunt, quomodo se expediant. Inutile foret, multa in hanc rem

Digitized by Google

rem dicere. Dauidi diuinitus oblatum esse hunc hymnum, inscriptio per ל extra omnem dubitationem ponit.

Inscribitur psalmus לְדָוִד מִכְתָּם, qui titulus non nisi sex hymnis, referente Ven. CRVSIO et teste codice hebraeo, praefixus reperitur, scilicet praeter nostrum, Psalmis LVI. vsque a Psalmum LX. Non longi post tot interpretes esse cupimus in explicanda hac rara voce. Interpretes Alexandrini in nostro Psalmo vertunt: στηλογραφία τῷ Δαβίδ. Vulgatus vero interpres sapienter scilicet omittit. Illi vocem aut plane non intellexerunt, aut, quod magis probabile videtur, aliam aliarum litterarum vocem habuerunt in mente, praesertim cum nunc satis constet, vsos fuisse codicibus graeco charactere scriptis. Fortasse in mente habuerunt מְנָזֵם siue מְנֻזֵם, quod verti posset, *monile*. Nam στηλογραφία apud Graecos notat scriptionem ἐν στήλῃ h. e. in columna sepulcrali, inscriptio facta in monumento ad mortui memoriam conseruandam. Nescio, an aliquid praesidii haec translatio ex vltimis hymni commatibus nacta sit, eoque spectauerint interpretes. Caeterum aliquam obscuritatem retinere hanc Psalmi inscriptionem, cum luminis parum ab interpretibus peti possit, facile sentio. Ex etymologia iterum parum certi coniicitur; nam מכתם ortum sine dubio trahit a כתם, quod aurum significat, et quidem *aurum purum*, *praestans*, sicque a זהב distinguitur, quod *vulgare* notat *aurum*. נִכְתָּם est *inaurari*, *auro obduci*, ex quo significatu alius apud chaldaeos ortus est significatus, vt dicatur pro *maculari*. Sunt etiam, qui hanc vocem deriuare velint a verbo נכתם *emicare*, sicque vertant *Psalmum prae caeteris praestantem:* quae deductio mihi quidem non arridet. Lutherum secutus sensum expressi:

Digitized by Google

Solatium dulciſſimum: h. e. Hymnus, quem pretioſiſſima quaque re cariorem habuit Dauides, ad quem confugeret, quoties ſolatio haberet opus. Atque Pſalmus hic vere continet eiusmodi res, quae maximum ſolatium animo regis afferre poſſent, vaticinia nempe de triſtibus Meſſiae fatis, eorumque feliciſſimo tandem euentu: atqui cum Dauides Meſſiae ferret imaginem, maxime ſe conſolari his effatis poterat Rex de omni ſua miſeria. Graeci alias hoc dicunt κειμηλιον.

Pertinere hanc inſcriptionem ad Textum diuinum puncta adiecta docent. Etiam noſtra ſententia, quod de Meſſia dictus ſit Pſalmus, praeter contexta, firmatur per teſtimonia Petri et Pauli Act. Ap. c. II, c. 25. et c. XIII, c. 35. quae nullis dubiis labefactari poſſunt.

Verbum שמר c. 1. vti conſtat inter omnes, ſingularem curam atque prouidentiam indicat. Bene Alexandrini vertunt: Φυλαξον, vnde et Deus dicitur Pſ. CXXI, c. 4. שֹׁמֵר piorum, qui curet atque prouideat, ne quid detrimenti capiat vita aut fortuna piorum. Vox אל, quod per κυριε vertunt Alexandrini, melius ab Aquila et Theodotione redditur per ἰσχυρε; optimum foret παντοκρατωρ. Nam cum de cuſtodia et tutela ſermo ſit, quae potentiam omnimodam requirit, vocabulum, quod hanc diuinam virtutem exprimeret, eligi debebat. Neque tamen recte colligi exinde poteſt, merum fuiſſe hominem Meſſiam, quod a DEO fortiſſimo petierit tutelam, aequus quisque viderit iudex. Nam in ſtatu κενωσεως haec a Meſſia dicuntur, vbi ratio ſuſcepti et perſequendi officii non permittebat, vt diuinitatis coniunctae cum humanitate virtutem vſurparet; imo id exigebatur, vt obſequium et fidem praeſtaret patri filius. Ratio additur petendi tutelam: *quoniam fiduciam omnem*

omnem in TE solo posui; atque hoc recte fit, quoniam ex promissione vniuersali officium quasi existit, iuuandi eum, qui sperauerit in Deum, sicque adiectam promissioni conditionem impleuerit. Praeterea hac quasi lege munus mediatoris Messias susceperat, vt quotiescunque ipsi opus sit, tutela Patris frueretur. Formula ergo haec implorandi auxilii diuini non sine circumspectione imitanda videtur.

Comma alterum, vt visum est interpretibus, maiori laborat difficultate. Vocabulum אֲמָרָה Alexandrini in prima persona verterunt per ειπα τω κυριω; quos sequutus est et Vulgatus interpres et noster Lutherus, nescio, quibus deducti rationibus. Secundum grammaticae regulas non est prima sed secunda persona foeminini generis; quaenam vero sit persona loquens, quam verba facientem inducit Psaltes, non conuenit inter interpretes. Meam sententiam iam antea dixi, quae scilicet eo redit, vt putem, loqui in commatibus 2. 3. et 4. ecclesiam siue synagogam iudaicam; quam meam coniecturam nunc plenius exponere, argumentisque, vt potero, firmare et animus est, et res ipsa postulat.

Res ipsa monstrat, loqui personam, maximo odio erga aliquem, quem nominare siue nolit, siue inutile putet, incensam. To אחר in com. 4. admodum significanter videtur dici in certum quendam hominem, cuius et conditionem et assecias persona loquens maxime detestari se fateatur. Iam R. Raschi in hac vocis forma haesisse perhibetur. Ego quidem, si rationes confero, in ea opinione confirmor, loquentem induci synagogam iudaicam, cuius in Iesum odium inter omnes constat. Atque nunc omnia, quae dicuntur, planam atque facilem, rebusque factis congruentem inueniunt explicationem.

nem. Audiamus, quid dicat illa, ex meo quidem iudicio, Synagoga.

Primum iactat ſuam erga Deum vnum fidem, nec non abſtinentiam ſuam ab omni numinum cultu: com. 2. TV, Synagoga iudaica, *ſic affari ſoles Iehouam: Dominus meus Tu es, quicquid boni vspiam ad meam ſalutem requiritur, praeter Te nec quaero, nec ſpero.* Sic ſenſum verborum exprimere ſtudui. Alexandrini vertunt: ὁτι των ἀγαθων μȣ ȣ̓ χρειαν ἐχεις: ſic neque verba, neque ſenſum reddiderunt. Aquila vertit: ἀγαθωσυνη μȣ ȣ̓ μη ἐπι σε: ſic verba, non autem intelligentiam dedit. Melius profecto Symmachus; ἀγαθον μοι ȣ̓κ ἐστιν ἀνευ σȣ. Facile intelligitur, me poſt vocem אמרת ſubintelligere ex Zach. IX, 9. בַּת־צִיּוֹן ſiue dictionem huic ſimilem. To טובתי per accentum diſtinctiuum tanquam ſingularis propoſitio a ſequentibus quaſi ſegregatur. Teſtari velle videtur ſynagoga, ſe ex foedere cum Abrahamo patre pacto fideliter Deo ſeruare fidem, nec alius cuiusdam velle recipere cultum. Gloriatur ergo de ſua abſtinentia a cultu Ieſu, quem ceu merum hominem putat tanquam idolum a ſuis coli. Irridentes quaſi dicunt: quid nobis cum illo homine, vt ab eo expectemus ſalutem? Tibi, o Deus, nomina dedimus, TE vnum colimus: ille ſaluare nos non poteſt. Haec interpretatio, ſi quid video, cum iis, quae in Euangeliſtarum hiſtoriae monumentis de contemtu, cui habuere Iudaei Ieſum, optime congruit. Clamant enim cum impetu coram Pilato Luc. XX, c. 18. αἶρε τȣτον. Ex D. Iohannis Euangelio inprimis notum eſt, in ea opinione fuiſſe peruerſam Iudaeorum factionem, vt putarent, nullum inter Deum atque Ieſum intercedere commercium, eumque eſſe a Deo reprobatum, vti et Ieſaiae C. LIII, c. 4.

Digitized by Google

c. 4. ipſi poſthac fatebuntur. Atque idem ipſis exprobrat Ieſus, Iohannis c. VIII, c. 41. 42 54. quod cum ad Iehouam, tanquam patrem ſuum, prouocent, ſe tamen, qui vnus idemque cum Patre ſit, ipſumque ergo ſe Iehouam reiiciant. Conſtat praeterea, Iudaeis ad Ieſum conuertis hoc ſemper a ſuis popularibus exprobrari, *quod Deum abnegauerint.* Poſtquam ergo Ieſum reiicientes Deo vni fidem polliciti eſſent, conferunt ſe ad praedicandas ſuae gentis praerogatiuas, quibus praedicandis et efferendis ignominiam contrahere cupiunt iis, qui in familia Ieſu Sancti et Excellentes habebantur, ſcilicet Apoſtoli eorumque diſcipuli vna cum martyribus.

Comma 3. *Sanctos enim homines ſi deſideras, inter nos, in noſtra regione habentur, qui probe ſancti ſunt: Atque ſi magnificos*, ſplendidae conditionis, excellentes viros *cupis, ſunt inter nos, quibus ego quam maxime delector.* Sic indigenos ſuos ſanctos collaudant. Quid in Alexandrina verſione, quae ſic habet: τοις ἁγιοις τοις ἐν τῃ γῃ αὐτȣ, datiuus τοις ἁγιοις et genitiuus αὐτȣ ubi velint, non capio: nam ſenſum verba non habent לקדושים ſingularem propoſitionem continet, hoc verbum ſecum habet, ad quod reſpiciat. אדירי ſunt *viri excellentes* et genere et vitae ſanctimonia Alexandrini reddidere ἐθαυμαςωσεν, in quo, quid intellexerint aut cogitauerint, inuenire nequeo. Aquila vertit: ὑπερμεγεθσι μȣ παν θελημα εν αὐτοις: verba tolerabiliter reddidit, verum non ſenſum. Symmachus: εις τȣς μεγαλȣς παν το θελημα μȣ ἐν αὐτοις. Theodotion: θαυμαςον μοι παντα τα θεληματα μȣ ἐν αὐτοις. Mirabiliter ſic variant. Sine dubio אדירי ſignificat, ex mea quidem ſententia, homines multam pietatem ſingularemque ſanctitatis ſpeciem prae ſe ferentes: et opponun-

ponuntur hi homines Apoſtolis eorumque diſcipulis, quorum nulla erat ſingularis ſpecies, qui humiles et abiecti ingrediebantur et cum ſumma morum integritate humanitatem, comitatem, facilitatem coniungere, per exemplar Magiſtri ſui edocti fuerant. Quanti fecerint Iudaei ſuos ſanctos homines, quos ex inſtitutorum forma ſanctos praedicare ſolebant, indicant vltima commatis verba, quae graecos Interpretes omnes ad verbum tantum reddidiſſe videre eſt. Ex hebraeo quidem idiomate ſenſus facile intelligitur, quem exprimere ſtudui.

Mirifice haec dicta congruunt cum moribus Iudaeorum inde a Chriſti Ieſu aetate vſque ad noſtra tempora. Dici enim vix poteſt, in quanto honore habeantur adhuc Rabbini, et olim habiti ſint apud iſtam gentem Phariſaei, qui inprimis ſanctitatis et ſeueritatis gloriam aucupabantur. Eandem fere ipſorum dictis cum diuinis oraculis auctoritatem tribuere ſolent. Tritum enim et familiare eſt dicterium: כָּל דִּבְרֵיהֶם דִּבְרֵי אֱלֹהִים חַיִּים *Quaelibet illorum verba ſunt verba Dei viui.* Vnde et, referente BVXTORFIO in Synag. Iud. p. m. 69. pueris haec inculcatur regula: *Mi fili, attende ad verba ſcribarum magis, quam ad verba Legis.* Iſta quidem gens eo gloriationis progreditur, vt ſibi ſolis omnem tribuant ſapientiam. תורת יי אתנו הכמים אנחנו, nos ſoli ſapimus, ſoli nos legem poſſidemus. *Ikkar.* VIII. R. Sal. *Iarchi* ad Deut. XVII, c. 11. non erubuit ſcribere, ſi dixerint Rabbini de dextra, eſſe ſiniſtram, et de ſiniſtra, eſſe dextram, indubitata fide hoc eſſe tenendum.

Quos Pſaltes vocat אדירי, Iudaei ſolent nominare נשיאים בישראל *principes Iſraelis*, quo honorifico nomine Rabbinos ſuos appellare ſolent, v. BVXTORF. Lex. Talmud. p. 2176.

Digitized by Google

p. 2176. dicuntur et נאנים. Vid. HOTTINGER Hist. Eccl. p. 130. 273. 341. *Iusti*, *Sancti*, *Magni*, et quae alia sunt nobilissima doctorum nomina. Neque negauerim, respici ad summos sacerdotes, qui vestium splendore a caeteris sacerdotibus distinguebantur. De Rabbinorum honore et auctoritate TALMVD testatur, vbi de R. Iehuda, R. Chaya, R. Osea, R. Chananan, R. Iochanam, R. Rab et R. Samuele loquitur.

Maxime hic locum habet Pharisaeorum secta, quae summo semper in honore apud Iudaeos versata est. Etiam Essaeos summo in honore habuerunt Iudaei, quorum et cognominationem nonnulli a graecorum ὅσιοι, alii ab hebraeorum חסידים deriuare studeant. Inprimis autem pharisaei inclaruerunt summo in Iesum eiusque Apostolos et familiam odio, quod et Sauli, postea Pauli dicti, exemplo comprobatur: nec opus est, eius odii atque inuidiae documenta, quippe longe notissima, ex euangelistarum narratione monumentisque historiae ecclesiasticae hic repetere.

Notum praeterea est, solere Iudaeos diuersos inter sanctos perfectionis gradus constituere. Siquidem gloriantur, habere se ישרים siue גמורים צדיקים *plene sanctos et bonos*, item, אנשים תמים וישרים, qua cognominatione eos appellant, quorum bona opera longe superent male facta, qui sanctissime viuant ex morum suorum ratione; iuxta Gemaram Babylonicam. Equidem vere habent, quod glorientur Iudaei, si magnam illam coronam sanctorum prophetarum, regum, ducum, sacerdotum intueantur, quos antiquitas habuit: si modo nunc illorum premerent vestigia. Sed in eo tamen longissime errant, quod illos sanctos sanctis Christi discipulis quasi opponunt, cum ad illorum sanctitatem se hi ef-

formauerint. Verum ea est gentis huius superbia, vt, quicquid non est ex Israelis stemmate ortum, ἁμαρτωλον iudicent: id quod iam ex Paulli dictis Gal. II, 15. videri potest, vbi D. Apostolus dicit: ἡμεις φύσει Ιουδαιοι, και ουκ ἐξ ἐθνων ἁμαρτωλοι, sicque τὸ ἁμαρτωλοι non ex lege diuina, sed ex morum et ecclesiae ratione dici luce clarius est: est enim ecclesiastica locutio eius temporis, quam adhuc vsque Iudaei retinuerunt.

Quanti praeterea suam Ecclesiam faciant, alias vero, inprimis christianam contemnant, innumera Rabbinorum vituperia in Iesu familiam et Scholam docent. Nominant nos simpliciter et per contemtum גוים, quae vox ex ipsorum sententia maxime ignominiosa habetur; et *stolidam gentem, in qua nulla sit sapientia.* Se vero praedicant: *ô vos beati de Domo Israel, vos enim Deus elegit!* se אשריכם collaudant, sine quibus non possit subsistere mundus, quemadmodum non sine aere et quatuor ventis. v. BVXTORF. Synag. Iudaic. praef. Quotidie sic precari solent: „Benedictus Deus, „quod me crearit Israelitam, quod non crearit me ethnicum, „siue christianum:„ negant etiam, Christianorum a Deo exaudiri preces: nec vnquam cogitant, se omnia, de quibus gloriari secundum D. Paulum ad Rom III, c. 1. 2. Cap. IX, c. 4. iure possent, propter Iesu Messiae abnegationem perdidisse: imo Iustino teste, „suorum maiorum virtutibus fisi, putant, „quomodocunque viuerent, se solos semper mansuros Dei „populum, neque tam rigide cum ipsis acturum Deum, quam „cum aliis gentibus. Quae cum ita sint, vanam ob sapientiae gloriationem, iure ab Apostolo reprehenduntur tanquam ἀνυποτακτοι, ματαιολογοι και φρεναπαται. ad Titum C. I, c. 10.

Nisi

Digitized by Google

Nisi breuitati ſtudendum ſit, longius haec exponi poſſent. Pergam ad

Comma 4. עצבות ſunt *dolores* omnis generis. Intelligendi ſunt fortaſſe hi dolores, quorum multiplicatam molem Chriſtianis apprecantur, ex erronea Iudaeorum ſententia, de ea iniuria, quam fingunt animas a corporibus ſolutas intra vnius anni ſpatium pati, quod per ſpatium temporis varie inquietentur a malis daemonibus. Summo odio in chriſtianos trahi Iudaeos iam dictum eſt: et quanquam dilectionem proximi cuiusque bene ſciant lege moſaica commendatam, tamen fucum facere ſtudent ſuo odio ex dictis Dei Deuter. VIII, c. 23. XX, c. 16. 17. IVSTINVS quidem Martyr Dialog. c. Tryph. queritur: *ὑμεις ἐν ταις συναγωγαις ὑμων καταραθε παντων των ἀπ' ἐκεινυ γενομενων χριστιανων*: et fatetur TRYPHON, prohiberi ſe Rabbinorum inſtitutis, *μηδενι των χριστιανων ὁμιλειν, μητε τυτων κοινωνησαι τον λογον*. Solemne et vulgare Iudaeis eſt de Ieſu cultoribus dicterium: *Sunt illi pabulum iguis infernalis.* Diriſſimae huiusmodi maledictiones in libris Iudaeorum arcanis, quos WAGENSEILIVS edidit, multis locis leguntur. Neque enim praetereundum eſt, Ieſum iam a Iudaeis Samaritanum appellatum Ioh. VIII, c. 48. quapropter et Chriſtiani apud Iudaeos cum Samaritanis in eandem inuidiam traducti habentur.

Ante אחר intelligendum eſſe אשר facile perſpicitur. Vox haec ignominioſe et ſignificanter poſita mihi quidem videtur, pro certa quadam perſona, Ieſu ſcilicet, quam perſonam ne dignam cenſent, cuius nomen eloquantur. Refertur vero ad prohibitum Dei Lege cultum *alienorum* deorum, inter quos et Ieſum, tanquam ſingularem chriſtianorum deaſtrum,

reponere non dubitant. Notum hoc est, nobis ob cultum Iesu a Iudaeis crimen fieri idololatriae. Nominis vero suppressio hic loci ex prophetiae ratione fieri debebat. Nunc vero itidem nominare Iesum summa cautione vitant; quin imo Iudaeis ex doctorum institutis pronunciatio huius sanctissimi nominis Iesu vlla cum honoris significatione facta prohibetur. Sic iam aetate Iesu facere solebant, vt eum per ἐκεινος siue ὅτος indicare operam darent. Postquam vero cruci affixus vitam amisit, σκανδαλον ἐσι τοις Ιουδαιοις 1 Cor. I, c. 23. christiani in ipsorum oculis gestant αἰσχυνην τῦ σαυρῦ Hebr. XII, 2. Ipsi quidem Iudaei post reditum ex Assyria, ante quem Φιλαδωλοι nuncupabantur, summo odio aduersus omnis generis idolorum cultum feruntur, et quaecunque apud scriptores profanos de Iudaeorum insulsa et inepta idololatria reperiuntur crimina, absque omni fundamento historiaeque testimonio dicta sunt. Vocabulum מהר singulari gaudet significatu. In coniugatione Piel significat *festinare:* sed hoc in loco ponitur in forma kal; et mihi non succurrit, an vspiam in codice rursus sic legatur. Rabbini explicant per *dotare*, *connubio se iungere alicui.* Quae significatio, si eam sequi vellemus, nos in eam sententiam ducere posset, vt putaremus, velle Synagogam iudaicam nos criminari, quod quasi desponsati simus Iesu, vt diuelli vnquam non possemus. Mallem vero, quoniam libaminum statim in textu fit mentio, sic hoc vocabulum interpretari: *qui alii cuidam* (praeter Deum, Iehouam, nempe IESV) *dorem dant, se suaque dicant.* Notum est enim ex Rom. XII, c. 1. christianos teneri, παρασησαι τα σωματα ἑαυτων θυσιαν ζωσαν, ἁγιαν, ἐυαρεσον τῳ Θεῳ: omniaque sua discipulos Iesu causa reliquisse. Graecorum caeterum interpretum ne vllus quidem verba assecutus est huius loci.

Negant

Negant nunc Iudaei 1) *Libaminum communionem.* Alexandrini reddunt: ὃ μη συναγαγω τας συναγωγας αὐτων ἐξ αἱματων. Melius Aquila: ὃ μη σπεισω σπονδας αὐτων ἐξ αἱματων. Valde dubito, an intellexerint prophetam. Ante מִדָּמִים intelligendum puto אשר. דמים videtur indicare materiam libationum, nam accentus hanc vocem cum praecedenti coniungunt: verterim igitur *libamina cruenta.* Vocabulum et dictio tota non debet nimis premi. Species enim aliqua cultus vniuersum cultum complecti solet: sicque veniam impetrant Alexandrini, si genus speciei loco expresserint. Accusant ergo hoc loco iudaei christianos, quod sacrificia cruenta i. e. humana offerant: siue, vbi hoc per metonymiam ad formam leuitici cultus pro sacris et cultu christianorum vniuersim dictum recte putamus, ex quo haec loquendi forma deriuata mihi videtur atque accommodata, dicere volunt, quod humanam sanguinem in sacris suis admittant. Atque sic facile est iudicatu, ad quam fortasse cultus christiani partem se hoc referat. Neque enim rerum gestarum monumenta desunt, ex quibus intelligitur, accusatos a Iudaeis Christianos, quod sanguine humano vtantur in sacris suis, imo quod bibere hunc sanguinem soleant: gentiles etiam, fortasse iudaeorum criminationibus inducti obiecerunt christianis coenas thyesteas, et quod humani sanguinis poculo, vti olim Catilina fecerat, se constringere soleant inuicem. Quid verosimilius est, quam hanc criminationem ortum trahere ex sacra coena, in qua Christi Iesu caro et sanguis ex institutione optimi saluatoris sub pane et vino manducatur et bibitur a christianis? Iudaei ergo cum nouissent celebrari a christianis sanctissimum hoc epulum, ansam sumsisse videntur calumniandi christianos, quasi humanum sanguinem inter solemnia biberent, vt inno-

centissimis hominibus contumeliam immanissimi flagitii inurerent. Eiusmodi quid et Plinii tempore christianis obiectum fuisse, exinde coniicitur, quod in celebri illa ad Traianum Imperatorem epistola expressis verbis narrat, *coire Christianos ad capiendum cibum, promiscuum tamen, et innoxium.* Lib. X, ep. 97. Habebant autem profecto Iudaei aliquam excusationem; nam sibi vetitum erat vesci humana carne, humanoque sitim pellere sanguine: cum igitur veram sacrae coenae naturam ignorarent, in eodem crasso versabantur errore, quem fouebant Capernaitae Ioh. VI, c. 52. πως δυναται ουτος ημιν δουναι την σαρκα φαγειν; sicque ex lege sua poterant, quamuis odio decepti, omne cum sacris christianis recusare consortium, quia sanguis eiusque commestio abominabilis sibi res erat. Caeterum non ignotum est, a Iudaeis Sacram coenam vocari *monstrum*, item בשר ודם quod realem corporis et sanguinis Iesu participationem vt et praesentiam contra omnem rationem esse putent. R. LIPMANN in Nizzachon ad Ps. XXXIV, 9. dicit: „Hic loquuntur christiani verba, quae audire nefas est, dicentes, se manducare Deum suum, quod est contra omnem rationem„ *). IO. CHRISTOPH. WAGENSEILIVS in libro, cui est inscriptio: *Tela ignea Satanae, hoc est, arcani et horribiles Iudaeorum aduersus Iesum Christum, Deum et christianam religionem libri anecdoti*, Altorf. MDCLXXXI. 4. nobis magnum numerum eiusmodi contumeliarum retulit. R. ISAAC in *Munimine Fidei* c. 2. obiicit Christianis atrocissimi criminis instar, quod suffocatis et sanguine fruantur. p. 54. Solemne caeterum est Iudaeis, cultus christiani omnem rationem pro paganismi foediissima specie reputare: quin imo

HIE-

*) Notandum tamen, his verbis assectas, contra quos autor in citato pestringi speciatim romanae ecclesiae libro assurgit.

Digitized by Google

HIERONYMVS *a Sancta Fide* Lib. II. de Talmude c. V. teſtatur, ſanctam Ieſu Chriſti et Apoſtolorum doctrinam iſtorum in oculis craſſiſſima et foediſſima idololatria deteriorem haberi. Vid. c. l. WAGENS. Praef. p. 77. et 78. Alia multa breuitatis cauſa praetereo: ſufficient, opinor, haec ad confirmandam meam coniecturam.

Negant porro 2) *pronunciationem nominum chriſtianorum, eorumque recordationem:* bene Alexandrini ſenſum expreſſerunt: ἐὰν μὴ μνησθῶ τῶν ὀνομάτων αὐτῶν διὰ χειλέσω μου; cur particulam ב per διὰ, non vero per ἐν expreſſerint, rationem non video. Phraſis haec ex idiotiſmo hebraico facilis intellectu eſt; beneque a Luthero reddita ſecundum idiotiſmum germanicum. Hoc pronunciatum Iudaeorum iam in ipſo hoc commate per vocem אחר euentum habuit, et omnium litterarum monumentis comprobatur; cum ſemper ſibi caueant iudaei, ne appellationibus honeſtis et non contumelioſis vtantur, quotiescunque de chriſtianis verba faciant. Caeterum non inſolens eſt in hebraico idiomate שם dici pro *numine*, quod colitur, cf. Gen. XI, 4. et Leuit. XXIV, 11. 15. Num ſorte *numina* hic vertendum ſit, doctioribus diiudicandum relinquo: hoc tamen huic opinioni veritatis ſpeciem affert, quod Iudaei nos chriſtianos propter myſterium SS. Trinitatis ſuſpectos reddere cupiunt, quaſi plures coleremus Deos, et phraſis *Numen Ieſus* in *Nizzachon* R. LIPMANNI et in R. IECHIELIS diſputatione cum NICOLAO ſaepe occurrit. Summam vero deteſtationem hoc modo indicari, vt opinor, etiam locus Apoc. Iohan. III, c. 16. docet, vbi Ieſus de Pſeudochriſtianis pronunciat: μελλω σε ἐμεσαι ἐκ τȣ ϛοματος μȣ. Atqui cum chriſtiani quique a Iudaeis excommunicati ſint per

חרם

חרם et שממה, anathema et execrationem solemnem, minime licet, nomina eorum eloqui et cum honoris significatione pronunciare, quemadmodum non licet, cum illis edere atque bibere: possent et hic multa huius malitiae documenta ex WAGENSEILII laudato libro apponi, nisi breuitatis rationem habere debeam.

Nunc com. 5. incipit rursus sermo Messiae Iesu, in quo finito iudaico sermone, se consolatur de accepta a Iudaeis repulsa, et quidem primo ex intima cum Deo coniunctione com. 5. qua sibi repraesentetur vberrime, quicquid per Iudaeos amissum sit. יהוה מנת־חלקי וכוסי videtur respicere diuisionem terrae canaaniticae inter tribus israeliticos sortilegio factam, in qua diuisione tribus Leui peculiarem portionem non accepit, אני חלקך ונחלתך dicit Deus Num. XVIII, 20. Ios. XIII, 33. Sic Messias hoc loco dicit Iehouam sibi haereditatis portionisque loco esse, ob summam cum eo coniunctionem. כוס semper notat praeter primitiuam notionem calicis quamcumque portionem dimensam vel malorum vel bonorum et respicit antiquos mores in sumendo potu. Nescio, an recte coniecerim, si putem, similem esse hunc locum illi, vbi Iesus Iohan. IV, c. 32. 34. dicit: ἐμον βρωμα ἐστιν, ἱνα ποιω το θελημα τυ πεμψαντος με, και τελειωσω αὐτυ το ἐργον: ἐγω βρωσιν ἐχω φαγειν, ἡν ὑμεις ὐκ οἰδατε. Nam et in eandem sententiam explicare meo iudicio debent etiam illa Pentateuchi loca, quod scilicet Leuitae terrae colendae vacare non possint, quoniam id muneris ipsis incumbat, vt *Deo seruiant* cultumue diuinum ministrent, indeque vitae alimenta capiant; sic Deus colendus, non ager, ipsis erat. Aequali ratione videtur Messias dicere, mihi quidem non illi colendi sunt, Tu vero,

Digitized by Google

vera, Iehoua, colendus et ministrandus es. Attamen se omni prorsus peculio non destitutum profitetur Messias, quanquam populi iudaici portionem amiserit, imo certam sortem sibi constitutam a Deo gaudet. חבל videtur substantiue poni; rara enim forma est: *Tu mihi tutor sortis meae es.* Sensus est: Quanquam a Te, Iehoua, populus Israelis tanquam peculium mihi traditus erat: vt quasi meam sortem considerare potuerim; me tamen cum reiecit, Tu curabis, vt certus mihi praesto maneat populus, quem tanquam meum considerare possim, qui meam doctrinam meque saluatorem recipiat, quamuis non inter iudaeos. Sed vt dicam, quod res est; videtur mihi hoc sermone indigitari bona pars ex gente iudaica, quae vera in Christum fide ipsi remansit. Alexandrini significanter satis reddiderunt: ἀποκαθιζων την κληρονομιαν μου ἐμοι: Sed an recte, non liquet.

Hanc suam sortem latius persequitur Messias com. 6. dicens, in amoenissimis terrae regionibus funes dimensorios sibi cecidisse. Allegorica profecto est oratio. Instrumenta pro effectibus et res terrena de re spirituali dicitur. Quomodo intelligam hunc locum, in translatione iam expressi. Scilicet sic interpretando circumscripserim: „gentium extra Israelem optima quaeque, imo cultissimae orbis terrarum gentes, meam doctrinam recipiunt Tua cura atque prouidentia, factique sunt meae disciplinae alumni.“ Sic Messias plenissimum suum gaudium de conuersis ex gentibus christianis testificatur, nec non, quantopere eorum delectetur amore, qui prima Christianismi aetate Iudaeos sua fide rubore perfuderunt. Haec duo commata 5. et 6. vti et sequentia multum videntur lucis accipere ex precibus Iesu, quas Iohannes c. XVII. re-

 fert,

fert, ex quidem ex comm. 6. 8. 9. 10. 11. 12. 20. 23. 24. in quibus omnibus de sua erga suos beneuolentia testatur, eosque curae, prouidentiae et amori Patris etiam atque etiam commendat.

Comm. 7. gratum testatur Patri animum, quod sibi optime consuluerit, omniaque ex intimo cordis voto euenire iusserit, cum pro facta in Iudaeis iactura innumeram inter gentes multitudinem fidelium comparauit. Sunt, qui το יעצי de consilio Patris, ex quo Iesus per mortis dolores ad gloriam accedere debuit, interpretantur; quibus equidem assentiri nequeo, quoniam contextis contrariatur eiusmodi interpretatio. Alexandrini vertunt *συνετησαντα με, qui me prudentem fecit*, quod hebraico textui non respondet: est enim non Hiphil sed forma Kal, quae habet significatum consulendi. In altero hemistichio vnanimitatem cum Patris consilio testatur, neque ego morabor in explicando hoc sermone, qui ex hebraico idiotismo voluntatis et animi intima vota notare solet. Attamen το לילות posset facessere aliquam difficultatem: ego quidem sub noctis imagine puto describi tempus tristissimum, atque sic interpretor: „idem mihi complacuit, cum quam maximo animi moerore afficerer ex perfidia Iudaeorum, quam inprimis in cruce suspensus expertus sum: tunc me consolata est spes, fore, vt inter alias gentes eo maiorem cultorum et amicorum numerum nanciscerer.“

Comm. 8. summam Iehouae Messias obedientiam atque obseruantiam pollicetur: *Nunquam non attentus inuenior Iehouam mihi quasi ante oculos constitutum:* Sic testatur se

se in vicissim, vt paucis quam maxime gratiam ineat: causam, quo mouentur, addit hanc: *a dextra enim mea stat, praesto est suo auxilio:* spem inde capit: *nunquam a cursu et scopo proposito dimouebor*, nil perdam, in nulla re fallar. בל־אמוט bene Alexandrini vertunt: ἵνα μὴ σαλευθῶ. Dicitur enim נמוט de iis, qui a munere concredito remouentur, aut ex patrimonio eiiciuntur: semperque motum ex loco cum damno eius, qui mouetur, notat. Sic Ps. XLVI, c. 4. de terrae motu, motisque sic montibus dicitur: et com. 6. de vrbe sancta Dei praedicatur בַּל־תִּמּוֹט in tanto terrae motu non concussa stabit, integra manebit, nullam accipiet fissuram. Sic et hoc loco: „quantumuis insano tumultu irruent in me meosque iudaeorum turbae, tamen nihil damni accipiam: faustus atque incolumis sub Dei tutela stabo.„ Formula loquendi hebraeorum: stare ab alicuius dextra, mea interpretatione non eget.

Comm. 9. gaudium expectatum describit Messias. In hoc commate parum est, quod explicationem desideret, כבודי mihi significat *statum glorioſum, vbi euectus fuero ad imperium vniuersale.* D. PETRVS in Act. Apost. c. II, 26. haec dicta Messiae ex alexandrina versione protulit. ἠγαλλιάσατο ἡ γλῶσσα μου: atque sic γλῶσσα videtur abundare, nisi velis de cantandis hymnis et laudibus accipere. Caeterum quae hic loci dicuntur, optime congruunt cum iis, quae Messias in Ps. XXII, c. 23 — 26. loqui perhibetur, et post perlata mala ad regiones supracoelestes euectus se facturum pollicetur. De cadaueris sui requie eleganter differit Messias: *etiam caro mea requiescet tuto*, a nemine inquietabitur;

bitur; id quod optime euentum habuit: nam ex eo temporis momento, quo Iesus animam exspirauit, quietem habuit: eiusque cadauer summa cum reuerentia conditum et custodibus ab ipsis hostibus conductis munitum et adseruatum est. לבטח Alexandrini reddunt ἐπ ἐλπίδι, quos et Petrus secutus est, magis vero sensum quam verba retinent.

Comm. 10. continet certissimam restitutionis spem. Siue per נפשי animam, siue vitam intelligas, vnum idemque dicitur. לשאול Alexandrini per εἰς ἅδου, in alio vero codice per ἅδην expressserunt. *Scheol* est Locus mortuis destinatus, quo in loco animae ex doctrina iudaica et patriarchali vsque ad resuscitationem commorari debent. cf. Gen. XXVII, 35. corpus enim Iosephi putabat Iacobus deuoratum esse, ergo ad animam refertur. In noui quidem foederis libris τὸ Scheol nulla fit mentio; per sepulcrum autem non plene, vti mihi videtur, redditur vocis natiua significatio: est enim locutio generalis, complectens passim vtrumque, locum separatae a corpore animae, et corporis in terra habitaculum: dicitur etiam de carcere damnatarum mentium. Cum vero vtraeque animae, beatae aeque ac damnatae aliquando ex mortuis resuscitabuntur, illique Scheol ad certum tantummodo tempus traditae sunt; simpliciter locus noster resurrectionis properatae spem infert, quamuis aliae omnes animae ad definitum vsque terminum retineantur: Messias vero spem fouet, fore, vt non eiusmodi longum, sed breuissimum temporis spatium sibi remanendum in Scheol sit, id quod sequens hemistichium docet, vbi ait: *non tradet sanctum* *) *tuum*, quem sanctificasti Ioh. X, 36. i. e. diuina-

*) vlterius ' in חסידך delapsum esse, Masorethae iam notarunt.

unicato donasti, *vt experiatur corruptionem.* Verba facilia sunt. Vocabulum חסיד et graecum ὅσιος, ἅγιος, sine adfectione positum, semper notat Messiam in libris diuinis, atque communicatam ipsi a Deo diuinitatem respicit. שחת quidem proprio significatu *foueam* indicat, vid. Prou. XXVI. Ps. VII. XCIV. at sequendus nobis est D. PAVLVS Act. XIII, 35. qui vocem hanc per διαφθοραν cum τους ὁ reddidit. Praeterea et כאר שחת Ps. LV, 24. dicitur, sicque foueae significatum auget notatio perniciei et corruptionis, tanquam effectus. Quid sibi deinceps exspectandum sit

Comm. II. clarius exponit Messias. *Semitas, quae ad vitam reducunt*, me doces, *mihi monstras;* hoc est, facultatem redeundi ad vitam mihi praebes; sic Iesus de se ipse testatur Ioh. X, 18. ἐξουσιαν ἐχω, παλιν λαβειν την ψυχην μου. תודיע non solum indicat rationem, modum rei perficiendae, sed et facultatem perficiendi. שבע Interpretes non parum exercuit; Alexandrini reddunt per πληρωσεις με εὐφροσυνης, atque sic verbaliter acceperunt, nec quidem male. Aquila et Theodotion per substantiuum πλησμονη εὐφροσυνων, Symmachus infelicius per ἑπτα εὐφροσυνας, interpretati sunt. Locutio tota indicat *multifariam laetitiam*, qua satiari desiderium quodque possit. Cui laetitiae Messiae destinatae cum ipsi cum omnibus beatis mentibus communis esse debeat, adiicitur tandem quasi ἐν ἀκμη singulare aliquid, quod Messias cum suis sociis et amicis communicaturus non sit: hocce vltimis hymni verbis continetur: *Sempiternae deliciae ad tuam dextram me manent.* Bene hic Alexandrini ταρπνοτητες verterunt, suauissima dulcissimaque

que gaudia, caritatis et beneuolentiae diuinae documenta. Haec ſi de aequali cum Patre Deo gloria, regia dignitate, ſummaque hominis Ieſu beatitate intelligam, nemo aequus arbiter reprehendet. Ineſt caeterum his propoſitionibus a comm. 9. vſque ad finem hymni pulcra gradatio, qua a communibus ad ſingularia, tandem ad maxime vnum et ſingulare quid aſcendit oratio, quod Meſſiae manebit peculiare. Ergo hic Pſalmus recte intellectus complectitur fata Meſſiae in terris, reiectionem eius apud Iudaeos, ſpem eccleſiae chriſtianae inter gentes: et tandem eius reſurrectionem et gloriam. Summi igitur pretii hic Pſalmus debuit eſſe Dauidi, omnibusque fidelibus antiqui foederis: nobis vero veritatis chriſtianae confirmationem addere poteſt. Hoc tandem monere cogor, de omnimoda Iudaeorum reprobatione nil dici in hoc Pſalmo quamuis videretur, ſi decreta ſit, hic loci dici debuiſſe.

Digitized by Google

EXERCITATIO IX.

DE

DIVINO IN DESCRIPTIONE TEMPLI EZECHIELIS CONSILIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

§. I.

PROOEMIVM.

Iampridem Scriptura Sacra variis mortalium conatibus, duriora fata experta est, vt de autoritate eius profecto actum esse paene videretur, nisi Deus ipse admiranda ratione, verbi sui salutaris saluti nullo non tempore prouidisset. Omitto ingenii humani tentamina, quibus vix vlla fidei nostrae veritas intacta relinqueretur, quin tantis altercationibus tamque infestis vexaretur cauillationibus, vt periculum sit, ne in illis exponendis, theologia mole sua historica laborans, in immensum crescat, atque omnem tandem ingenii humani captum superet, nisi, quod forte fortuna plerumque accidit, crambe tandem vel centies cocta apponatur, et errores diu sepulti et de nouo protracti, ornatu vestiantur, genio seculi magis accommodati. Kohel. I. 10. Sed mitto veritatum salutarium fata, hoc tantum memoria repetiturus, quales, mutata nunc rerum quasi scena, de veritatum fonte, de ipso librorum sacrorum valore, eorumque partibus, inter nosmet ipsos versentur pugnae; vt in his conatibus, quid verum sit, quid falsum, percontari, litterarum sacrarum ex animi integritate amantibus, haud indignum iudicare videatur. Etenim disputatio-

Digitized by Google

tationum, vel, si mauis, clamorum de Scripturae Sacrae auctoritate plena vbiuis sunt omnia. Vtrum vero de illustri hoc argumento, recte semper, an vero multa cum festinatione et bono animo seu πρὸς οἰκοδομὴν disceptetur, me oculatiores viderint. Vnico mihi ostendisse exemplo sufficiat, quam iniuste saepius de argumento quodam sacro, per animi leuitatem possit pronunciari. Templi nimirum illius imago, quae ab Ezechiele illustri propheta, a Capite XL. vsque ad Cap. XLVII. depingitur, in promtu est, quae tam multos excitauit dissensus, tamque miras protulit cogitationes, vt tempus in cassum tereret, qui omne id, quod super hoc aedificio suauiter commniatum sit, verbis cuperet exponere.

§. II.

Occasio tractationis.

Maxime autem illorum specto interpretum effata, nominibus parcens, qui nulli verentur, totum hoc Ezechielis templum tanquam rem nauci, nulliusque plane in religionis negotio vtilitatis, ob impenetrabilem, vt aiunt, caliginem prorsus delere. Addunt, omnem huius aedificii delineationem, a primis illis Samaritanis fuisse excogitatam, vt haberent, quo confunderetur populus ex Babylonia redux, ac pii Sorobabelis, vna cum reliquis ducibus ausus aggrauarentur. Sed impudens oratio, si vnquam ex ore criticorum exiit, haec profecto est, vbi citra omnem historiarum fidem, de stupido et ex verramentis gentium collecto populo II. Reg. XVII. 24. tanta affirmetur vafrities politica et mathematica, quanta de moratissimis, ne Samaritanis quidem, tempore Christi queat concipi et quidem in populum iudaicum vera, qui profecto nec varias scien-

ſcientias, multo minus ſanam rationem, in tantiſſima illa μετονσεία abiecerat. Pigeret fere in his tricis diutius morari, niſi dignitas ipſa argumenti Ezechielici, aliarumque veritatum cum illo propinqua ſolatii eſſent cognatio, quibus abreptus non poſſum non, quin perquirere periculum faciam, qua ratione de conſilio huius vaticinii architectonici, vſquequaque diuino, ex mea quidem ſententia, iudicari debeat.

§. III.

De difficultatibus in Ezechiele.

Lubentiſſime fateor, id quod nemo negabit, vaticinia Ezechielis difficultatibus ſuis haud carere. Sed quid tum? Tantum abeſt, vt illarum cauſae in ipſo autore quaerantur, vt in ipſis hominibus debita aſſiduitate in ſcrutando deſtitutis lateant. Dudum bonus ille vates iisdem autoribus adiectus eſt, qui, vti fit, etiam ab iis rariſſime legantur, a quibus tamen ſedula S. S. lectio prae reliquis poſſit expectari. Cuius triſtiſſimae ſortis rationem, in vltima Thule ſeu vltra Herculis columnas, itidem non eſt quod quaeras, cum ante pedes ſit. Cuilibet enim, qui nauiter in illuſtrando Ezechiele verſari cupit, id oneris impoſitum eſt, vt linguam non tantum autoris ſed totam ſimul diſciplinam propheticam, duram certe prouinciam, ex aſſe calleat. Hiſtoriam totius populi iudaici, eamque praecipue partem, quae decantatas calamitates difficillima putatur, acerrime teneat, vt reliqua praeteream. Quotquot autem mortalibus conceſſum eſt, adire hanc Corinthum? Deſiderat enim Ezechiel magna adhuc cum expectatione, ſuum Vitringam, ſuum Venemam, ſuum Schultenſium, ſuum Kennicotum. Hinc nouus plane atque improbus labor eiusmodi

V

interpreti deuorandus restat, qui dumeta et saxa in via caedere, ac nouum sibi, in quo currat, stadium parare cupit. Rebus autem sic comparatis et Ezechiele tam parum intellecto, qua fide, quaeso! homines, qui aliqua erga S. S. religione feruntur, quali de re leuissima et fragmento quodam Tanguiano causa peroraretur; tam libro ipsi, re prorsus inaudita, quam partibus libri exequias canere et ex reliquorum compage eiicere, sibi sumunt animum? De iis praecipue capitibus, quae templi apud Ezechielem continent descriptionem, hoc multo magis verum est. Quodsi enim hoc in argumento interpretationem bene superaueris grammaticam, restat tibi adhuc res mere architectonica. Vbi vero sunt, qui in interpretando nostro Propheta talem attulerint rei architectonicae apud Ebraeos cognitionem, quali ad dimensionem harum rerum opus esset? cum ipse Villalpandus, maximis suis conatibus, nil nisi maximas saepe nugas protulerit, doctissimas quidem, sed de quibus Ezechiel nunquam profecto cogitauit, Vitringa in tentamine super Ezechielis templum concionetur magis quam explicet. Vestram fidem doctores! quanta delectatione rerum mathematicarum nostra aetate tenentur, qui in explicatione S. S. vitam degere cupiunt. Quamquam nec sic quidem, omnis res confecta est, nisi prius, quod primo loco dicendum erat, multos scribarum errores correxeris, quibus adhuc tota haec Ezechielis videtur scatere narratio. Et nunc cogitemus, quam sobrie, quam modeste de illustri hoc vetustatis monumento sit iudicandum, quum omnes harum rerum periti concedant, omnem archaeologicam Iudaeorum cognitionem, post Bocharti, Michaelis, Lowthii, b. Fabri, aliorumque egregios labores, multorum tamen adhuc exigere conatus, vt parum absit, quin credam, fore demum, vt, Ezechiele plenior luce collustrato, posteri delectentur.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Argumenti diuiſio.

Poſſet tamen aliquis lubenter concedere, plurimos fortaſſe acerbius de Ezechielis templo, tamquam de argumento non ſatis intellecto iudicaſſe. Nihilominus tamen recta id iuſtaque factum eſt ratione, quin potius ex commodo animi humani, vt admonerentur nimirum mortales, quo ſibi caueant, de re aliqua, quae omnem ex tenebris in lucem liberiorem vindicandi laborem ſuperet, et quid tandem opus eſt, lectorem S. S. enarratione defatigari, quouis numero platonico obſcuriore. Sed in hunc ipſum ſcrupulum intentus, ante omnia nego, tanta templum Ezechielis obuolutum eſſe caligine, tamque profundam latere rei huius mentem diuinam, quae, nulla prorſus adhibita opera, ad pleniorem lucem poſſit proferri. Simulac enim de recto conſiliorum diuinorum ſcopo, in templi Ezechielis deſcriptione conſtet, tunc credo fore, vt illico de obſcuritate eius excitatae querelae ſimul euaneſcant. Hinc rationes meas ſic inſtituam, vt *primum* de dignitate operis ipſius, *deinde* de ſenſu enarrationis proprio non relinquendo exponam, et *tandem* quaeram de ſcopo argumenti in religionis negotio, ita tamen, vt Xenophanis Colophonii apud Varronem memor ſim, qui quicquid *putet* quisque non quid *contendat* vt ponat autor eſt.

§. V.

De eo, quod τὸ Θεῖον eſt, in omni diſciplina templi apud Iudaeos.

Vt autem eo lucidius appareat, qualis mihi inſedeat opinio, paulo altius omnem rem repetere, meoque delectu et

modo vti, in argumentis vel vsurpandis vel tractandis licebit. Vertitur enim hoc loco cardo omnis disputationis in natura et disciplina populi iudaici, quae de templo erat, quaue nihil illustrius aut memorabilius in omni reipublicae huius gentis constitutione reperiri potuit. Tam arcte enim templo adstricta erat omnis rerum politicarum ratio, vt cum illo non posset non stare vel cadere vniuersa populi fortuna Ierem. XLIV. 2. 3. Hanc ob causam summa religione ad vnicae aedis obseruationem cogebatur Israelitarum natio, vt eo minus misceretur cum reliquis Asiae populis, semperque etiam inuito animo fungeretur, vti AVGVSTINVS ait, munere *Scriniariorum* seu *Capsariorum*, qui vniuerso generi humano reuelatae religionis testimonia portarent, ne vlla fatorum in orbe terrarum turbine intermorerentur. Quo memorabili titulo etiam Paullus populares suos praedicat, affirmans, τὰ λόγια τῦ Θεῦ illis olim concredita diuinitus fuisse. Rom. III. 2. coll. Ezech. V. 5. Amos. III. 2. Simili fere ratione *Casaubonus* in illustri ad Polybium praefatione Romanos prouidentiae diuinae scribas ac tabularios publicos vocauit. Nisi vero istam ideam semper ante oculos quasi habemus, multarum historiarum enarrationes et omnes Iudaeorum res apparere non poterunt, vel recte explicari. Ad errorem hoc loco in primis specto, in quo maxime sibi placent, qui contra omnem recte de historia philosophandi rationem, neglecto illo momento, satis abiecte de Hebraeorum institutionibus iudicant, vt nempe aliquid habeant, quo possint historiae biblicae sanctitatem lacessere. Quodsi enim vnquam Deus curatissime omnem rem sacram cum ciuili Israelitarum disciplina coniunxit, hoc profecto in forma templi condendi praestitit; vt hanc inter primas omnis Theocratiae partes referre nequaquam dubitem. Non me fu-

giunt

giunt diuerſae de Theocratiae eruditorum ſententiae. Attamen filere haud poſſum, quid ipſe de hac re optimum iudicem. Nequicquam enim ex mea quidem ſententia, pro peculiari regiminis forma habenda videtur; ſiquidem Deus nunquam ita priuauit Iudaeos agendi libertate, quin illis pro diuerſa temporum ratione variam indulſerit imperii faciem, id quod ex rerum geſtarum ſerie ab exitu ex Aegypto ad Herodiadum vſque tempora ſatis elucefcit. Concedo quidem Samuelis tempore, quum olim Regem poſcerent, grauiſſime in populum rebellem animaduerſum fuiſſe. I. Sam. VIII. Deus autem non ob id ipſum huius rei deſiderium, ſed ob impium poſcentium animi habitum iraſcebatur, et quia ſub obtutu mutatae imperii formae, faſtidium in inſtitutionibus diuinis mentiebantur, peruerſoque profanos imitandi ſtudio, circumiacentibus accolis ſatis ferociter ſimiles fieri cupiebant. Theocratia itaque mihi nihil aliud eſt, niſi perpetua et extraordinaria ſtatus politici cum negotio religionis coniunctio ob finem diuinitus conſtitutum prorſus peculiarem, ex vniuerſa hiſtoriarum ſerie repetendum. Hanc vero inſtitutionem ſub quouis imperii habitu adfuiſſe, experientia magiſtra conſtat, ſiue enim in legibus ferendis, ſiue in miraculis, ſiue in prophetarum dotibus, ſiue aliis in rebus ſeſe manifeſtauerit; extraordinario illo tamen concurſu diuino, partim ne commune aliarum gentium fatum Iudaeos extingueret, cautum eſt, partim ne reliquis mortalibus deeſſent reuelationis ſeu geruli ſeu cuſtodes, quorum opera maximum illud beneficium, quibusuis regnorum tempeſtatibus, ſartum tectumque retineretur. Ad hunc itaque conſiliorum ſummi numinis theocraticorum complexum, omnem refero templi diſciplinam in primis. Deut. XII. 5. Cui enim non mirandum videretur, quod Deus, qui tanta

ſanae

ſanae rationis luce ornauit mortales, vt in inueniendis artibus et ſcientiis, neceſſitate coacti etiam de exſtruendis commode aedificiis cogitarent: tanta tamen quaſi anxia cura de exſtruendo loco cultui publico deſtinato ſategerit, vt Iudaeis artis aedificandi haud ignaris, ne quidem minimas eius partes pro captu ingenii fingere et coniungere permiſerit, ſed compagem fere cuiusuis anguli, formam cuiusuis feneſtrae et quid non? ſuo reſeruauerit arbitrio? Demas autem ab hac re conſilium quoddam Dei ſanctiſſimum rationemque prorſus peculiarem, et incertus ſemper in conſiderando hoc negotio errabis, cum ignariſſimis.

§. VI.

Vberius explicatur ex hiſtoriarum ſerie.

Prima ſanctiſſimi illius tentorii delineatio, quae Moſi imperabatur, ad quoduis fere velum ſeu tegumentum vſque, erat diuina, monitoque obſignata. Adſunt verba diuina: *Videto, vt diligentiſſime ad exemplar facias, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Exod. XXV. 40. et haec omni tempore tantae ſanctitatis iudicabantur, quam nec recentiori multo aetate negligendam putarent Apoſtoli. Act. VII. 44. Ebr. VIII. 5. Bezaleelis etiam Ahaliabi reliquorumque artificum copia mirandum prorſus in modum edocet ſummi Numinis curam, quae eautum fuit, ne in ſummo rei paſcuariae Iſraelitarum ſtudio, nec in truculentiſſimis a tyrannis vexationibus artium ſtatores deſiderarentur, qui pro neceſſitate rerum operi futuro inſeruirent Exod. XXXI. 3. Quodſi vero Salomonis tempora contemplamur, maiora quidem rei architectonicae incrementa, ſed eundem tamen huius ſcientiae peculiarem ad cultum publi-

cum

Digitized by Google

cum reperimus habitum, qui nisi secum aliquid absconditi habet, explicatu certe difficillimus manebit. Confessio principis huius publica de semetipso satis conueniens cum rerum a se gestarum monumentis, testatur quidem, imperio suo artificum omnia fuisse pleniſſima. Kohel. III. 4. 8. Vbi vero ad exstruendum templum peruentum est, tunc abstinet manus Cherſiphron ille Iudaeorum, et Rex ipse multarum scientiarum apprime gnarus. Vterque negotium illud pro imperio agere recusat. Vnde haec tam mira rerum conuersio? Vetitum quippe erat, ad cuiusuis artificis figmentum, quicquid huius operis esset, suscipere, cuius descriptionem sibi Deus ipse asseruasset: id quod verba testantur 1. Chron. XXVIII. 11. 19. *Dedit autem Dauid filio Salomoni exemplar porticus eiusque aedicularum et cellarum et cubiculorum et interiorum conclauium sedisque propitiatorii. Atque horum omnium operum exemplar, et dixit se Dauid ex ipsius Iouae manus descriptione didicisse.* Sed heu! quam inutilis fuisset haec cautio in tanta mortalium copia, qui praestantissimam in exstruendis arcibus ac palatiis nauassent operam didicissentque elegantissima templorum sculpere exempla, nisi longe maiorem eamque maiestaticam Deus rationem respectasset, et quam probe se tenuisse, Salomo ipse fatetur in memorabili illa, qua nouum templum dedicauit oratione. II. Chron. VI. Hoc nimirum notatu dignissimum in hoc negotio erat, vt peculiaribus de futura aede mandatis Deus ostenderet, hanc templi disciplinam aliquid altius spirare, et simul omnem illam sanctitatem populi politicam, omnemque promissionum diuinarum complexum tamquam in ancora tenere, ita vt hoc retinaculo semel dilapso, solatia de bonis futuris diuina, quasi omni stabilimento destituta viderentur. Itaque altissima mente ista institutio omni

tempore repoſita manſit apud Iudaeos, id quod perpetuo conſenſu edocent annales huius populi ſanctiores temporis ſequentis, affirmantes, pro vno eodemque crimine fuiſſe reputatum, ſiue quis profanis attigerit manibus hanc diuinam templi diſciplinam, ſiue aperto Marte omnem reipublicae oppugnandi felicitatem fecerit periculum. Et ſi ex multis exemplis pauca proferre licet, ſole clarius id in magna illa rerum conuerſione apparuit, quum turbulentiſſimus Ierobeamus plurimam tribuum partem ad rebellionem ſollicitaret, tum inuenta noua vitulorum adoratione, antiquam patriae faciem cum ipſo ſummi Numinis imperio recuſaret. I. Reg. XIII. 2. 34. Leuiſſimum illud primo aſpectu conſilium Achazi, turpiſſimum tamen ducebatur, qui, viſo Damaſci eleganter exſtructo altari, per ineptam ἐθελοθρησκείαν, formam ſtatim deſcriptam Pontifici cum mandatis mitteret, vt, aeneo altari remoto, nouum poneret, quod profana venuſtate conſpicuum ſacro cultui in poſterum inſeruiret. II. Reg. XVI. 10. Praetermitto plura, quae in ſingulis fere verſibus annalium Sacrorum expoſita reperiuntur, hoc tantum miraturus, nec ſub grauiſſima calamitatum mole, nec per templi vrbisque cineres, eo quiuiſſe adduci gentem iudaicam, vt de hac diſciplina, dummodo minimus adeſſet religionis ſenſus, remitteret. Etenim templo vix ac altari deletis atque remotis tantisper infeſtis Chaldaeorum armis, viri, quod minime opineris, e Sichemio et Silunte haud ab re fore putabant, etiam in ruinis ſacrae aedis thura atque libamina offerre, et recordatione huius diuini pignoris, neglecto funeſtiſſimo eius praeſente ſtatu, delectari. Ierem. XLI. 5. Tantum aberat, vt omne patriae excidium in hac cogitandi ratione apud ſapientiores aliquid mutauerit, vt potius eo magis confirmauerit. Daniel certe cum Babylone ter

in

in diem genubus flexis numini supplicaret, apertis in triclinio fenestris constituebat sese Hierosolymam templique regionem versus, vti dudum disciplinae templi instaurator Salomon praeceperat: 2. Chron. VI. 38. Dan. VI. 10. Nec praetereundum puto, ipsum Ezechielem inter certissima abiectae religionis indicia referre, quod nonnulli tergis Sanctuario oppositis orientem in precando more profano adspexerint. Ezech. VIII. 16. Et nonne grauissimae subsunt rationes, ex quibus nostri argumenti dignitas apparet, quod Deus templi incendium ipsis Babyloniis tandem iure talionis seueriſſime compensatum iri minitatur? atque interitum Babyloniorum futurum meditantibus sapienti suadet consilio in hisce iudiciis diuinis ἐκδίκησιν ναοῦ αὐτοῦ, Ierem. L. 28. minime neglectum putare.

§. VII.

De vsu huius disciplinae in captiuitate Babylonica.

Talis erat de templo philosophandi subtilior apud Iudaeos ratio, qua a teneris imbuebantur omnes, quibus supra vulgus sapere animus erat. Nunc autem videndum putamus, qua via et ratione Prophetae; cum populo de rebus istis sic cogitante circa hoc argumentum versati fuerint. Et videmus nec ipsa captiuitate aliquid de templi disciplina remissum fuisse, quin, vbi admisceretur, siue in increpando, siue in consolando, eorum versaretur oratio. Inerat nempe Iudaeis patria iam extorribus mira superstitio, templum ipsum eiusque molem in variis gentis suae calamitatibus, sine dubio exceptum iri, hinc primis adhuc annis exilii, se ipsi in sinu falsa deludebant spe, fore, vt omnes hae funestae popularium calamitates, modo templum maneret, tolerabiliori fato et tamquam

duro quidem, sed haudquaquam morbo perniciali, absolue-rentur. Sed quid ad hanc vanissimam diuinae vindictae coar-ctationem a mortalium superstitione excogitatam Propheta? Omnium expectationi quam maxime contraria eaque tristissi-ma ratiocinatur. Inquit nimirum: Sic dicit Dominus Ioua, *ego iam meam profanabo aedem, culmen vestrae potentiae, oculorum iucunditatem, et animorum deliciar.* Ezech. XXIV. 21. Quum itaque animi Iudaeorum πεπωρωμένοι solerent lapidibus quasi templi tantum, rebusque in sensus incurrentibus inhae-rere, recte vltimam rerum sacrarum cladem affirmat, vt expe-rirentur maximo cum dolore difficillime fidem in hominibus excitari, vbi non miracula et ostenta viderint. Ioh. IV. 48. Excidio autem vrbis templique prorsus consummato, longe diuersa erat ratio. Quanquam enim templum ipsum perierat, disciplinam tamen templi Deus nunquam aboleri patiebatur. Nunc enim omne Ezechielis munus Babylone eo spectabat, vt *partim* populum ad pietatis ac μετανοίας studium excitaret, prouocaretque castissimis gratiam diuinam, ob beatiorem fa-torum mutationem, precibus obtestari: *partim* vt certissimos faceret populares, hunc turbulentum rerum statum, nequa-quam semper duraturum, sed stato tempore potius, ob pro-missiones nondum absolutas, reditu in patriam nouoque ge-nere felicitatum iri commutatum. Euenerat, satis cum acer-bitate, id quod Hoseas dudum praedixerat, III. 4. Diu ma-nebant Israelitae sine rege, sine sacrificio, sine externo reli-gionis signo, sine ephodo ac laribus; sed interitum seu per-petuam obliuionem haud complectabatur horum beneficiorum cessatio. Et huius rei mirandae obsignatio posita erat in futu-ri templi exemplari, quod pignoris loco populum de omni-scientia summi numinis euentura perspiciente, et medio in

cala-

Digitized by Google

calamitatum agmine de nouis ſolatiis cogitante edoceret. Hinc omnino operae pretium putamus, paulisper tam ad *materiam* quam ad *formam*, quod aiunt, nobiliſſimi huius argumenti haerere meditatione.

§. VIII.

Quod per partes oſtenditur.

Si *materium* enarrationis templi Ezechielis contemplamur, omnia ſapientiſſimo compoſita conſilio, imo extremae etiam neceſſitatis fuiſſe reperimus. Dum enim conſiliorum diuinorum σύσημα multiplicem adhuc rerum gerendarum ſeriem requireret, quantam nempe, vſque ad aduentum Meſſiae ad ſuum templum ſatis iudicaret Deus: Zach. VI. 13. eodem etiam ac priſco illo tenore diſciplina ſacra continuanda erat, ne foedera cum Abrahamo ac Dauide diuinitus ſancita temere reſcinderentur. Ad hunc finem autem obtinendum, ante omnia erat neceſſe, Iudaeos, nuntiato nouo templo, ab obliuione et neglectu patriae reuocare, quippe quod plurima adeſſent, quae infeliciſſimo huic memoriae defectu inſeruire poterant. Quodſi enim verum eſt, quod dicitur, patriam eſſe, vbicunque bene fit, Iudaei, quod ad hanc rem attinet, in maximo verſabantur periculo. Abduxerat hoſtis populum quidem Babyloniam, ſed non vendiderat: patriam eripuerat, relicta tamen libertate, vt, clementiſſimo victoris conſilio, optimarum prouinciarum eſſent coloni et ἐν τοῖς ἐπιτηδειοτάτοις τῆς Βαβυλωνίας τοποις habitarent, vti Beroſus apud Ioſephum loquitur. Coll. Ezech III. 15. Quam facile apud bonos etiam patriae caritas deferbuiſſet, id quod dudum a decem tribubus et multis aliis Iudaeis ſub iudicum Saulisque imperio factum

Digitized by Google

erat? Pſ. CVII. 47. Hoc autem natalis ſoli neglectu, omnis ſimul corruiſſet *πεοσφισμὸς* ille gentis iudaicae politicus, in quo promiſſiones omnes patribus factae, tamquam in fundamento locatae, figebantur. Populus ille non ſolum tanquam *βασίλειος*, non quocunque ſub axe, ſed in terra promiſſa, tanquam *βασίλειον ἱεράτευμα* erat aſſeruandus, quo memorabili nomine nihil niſi rempublicam perpetua expiatione coeleſti eaque vicaria conſpicuam intelligo. Exod. XIX. 6. Deut. VII. 8. I. Pet. II. 9. Propoſita itaque ab Ezechiele noua aede, ad vnicam illam et antiquam de templo formulam attendere cogebatur populus, ne mundo deeſſent theſaurarii omnis religionis reuelatae, gens ipſa autem certiſſime ſciret, hoc tibicine inſtaurato temploque ex cineribus iterum excitato, fore tandem, vt et reliqua ſolatia promiſſaque bona conſequeretur. Non itaque mirum, poſt reditum ex Babylone, complementum omnium vaticiniorum his tantum verbis nempe per *aduentum Meſſiae ad templum ſuum* expreſſum fuiſſe. Malach. III. 1. Quemadmodum autem in hac deſcriptione Ezechielis, ſi argumentum ipſum ſpectamus, nihil niſi quod ſapientiae diuinae, et indoli, educationi expectationique popularium conueniat, poteſt reperiri; ſic *forma* totius rei ſeu eloquendi ratio eodem modo, receptae Iudaeorum obſeruantiae, ac ſuetae Prophetarum inſtitutioni adaptata cenſeri meretur. Oculis quidem conſpicitur, effata de futuro templo nequaquam continua ſeu concitata pronunciari oratione, omnemque potius verborum ornatum relinqui, quo alias animi ſui ſenſus vates elegantiſſime exprimere aſſoleat. Sed quid tum? Longe celebriori et cum maieſtatica ſimplicitate coniuncto vtitur modo explicandi, quorſum conſilia ſummi Numinis feruntur. Architecti ſcilicet perſonam induit peritiſſimi, lineas ducit, pingit, tigna

Digitized by Google

tigna fibulis coniungit, aedem futuram, cum omni cultus publici institutione ante oculos ponit, et tali modo τὸ βάθος prouidentiae coelestis manibus quasi tractandum praebet, vt ex diphtera diuina cuiusuis oeci, atrii et anguli mensuram repetat, quo animi legentium ad persuasionem rapiantur et ne hiscere quidem audeant aduersus vaticinium tanta luce illustratum. Nunc singuli Iudaeorum intelligere poterant prouidam Dei curam, tali modo adhuc operantem, quali Mosis ac Salomonis aeuo in dirigendis cultus publici sedibus vigilauerit; etiam reliquas suppeditaturam felicitates, quas futura rerum mutatio et e ruderibus quasi reconcinnata respublica requirerent. Addo, imaginem huius templi quemlibet, non plane a lectione huius prophetae alienum, eo magis ad cognoscendum τὸ θεῖον in enarratione elicere; quod haec explicandi ratio cum consueto eius more, per actiones symbolicas praefari conuenit, in quo ei nullus sodalium fatidicorum anteponendus videtur.

§. IX.

De proprio sensu huius vaticinii haud relinquendo.

Progredior ad aliam argumenti mei quaestionem, vbi dispiciendum est, an templi Ezechielis descriptio proprio aut mystico sensu intelligenda sit? Nihil, si ex mea sententia loqui fas est, mystici hic agnosco, siquidem ad id statuendum me non solum supra laudata mouent, sed ipse textus inferendis mysteriis disertis verbis repugnat. Dici vix potest, quam misere hic philosophentur multi, qui in omnibus huius aedis particulis mysteria reperisse, sibi visi sint; a quibus tamen temporum istorum ratio iuxta ac populi conditio fuit alieniſſima;

ita

ita vt quouis pignore certares, bonum illum Ezechielem ſcholis fortaſſe Ruysbrochii vel alius ex hac familia, ſi Diis placet, interfuiſſe. Conſtat quidem Ezechielem alio loco in vaticiniis quibusdam ſymbolicis, quibus myſtici quid ineſſet, ſcientiam mathematicam haud neglexiſſe, exempli loco, cum vrbis expugnationem, forma plano lateritio impoſita, depingeret, Ezech. IV. 1. oſtenderetque perpetuum Dei fauorem in ſingulas vtriusque regni tribus, duarum linearum ad vnicam figuram combinatione, Ezech. XXXVII. 16. Sed in illis locis perſpicuam rei addit explicationem, qua vates ſe ipſe interpretatur, id quod in noſtra templi deſcriptione longe aliter comparatum eſt. Et quid opus circuitione, ſi ipſe Propheta exponit, quo lectores ſibi ab omni ἰδίας ἐπιλύσεως errore caueant? Etenim accepta templi imagine, acceperat ſimul monitum diuinum: *Cerne tuis oculis et auribus auſculta et animo attende, quidquid ego tibi monſtrabo: nam vt tibi monſtretur, huc, adductus es. Referto, quidquid videris, Iſraelis domui. Omnibus familiarum patribus expone formam depictam, vt iterum demetiendo rem ſibi reddant familiariorem, videant, ſecumque meditentur, quid huic rei inſit ordinis, rationis, elegantiae vel finis.* Ezech. XL. 4. coll. XLIII. 10. 11. Prona hinc ſine dubio ſequitur argumentatio, prophetam hanc ſuam rem architectonicam etiam ab omni populo, tanquam architectonicam, diiudicari voluiſſe. Quandoquidem myſticas veritates homines neque regula, nec funiculo, nec circino dimetiuntur, multo minus autem his inſtructi armis vxores, liberos ac vernas de tali argumento certiores faciunt, quod quidem Propheta tamen imperat. Quae dum mecum reputo, typum hunc Ezechielis omni populo inueſtigandi cauſa traditum, in mentem ſimul venit antiqua diſciplina illa Moſaica et per Prophetas

Digitized by Google

phetas continuata, qua fieri poterat, vt homines facillime de diuina librorum sacrorum autoritate certissimi redderentur. Namque relatum legimus Deut. XXX. 9. Mosen scripta sua non tantum Leuitis (quo titulo semper omnium nobilium ac eruditorum populi globus intelligitur) per exempla describenda curasse, sed omnibus etiam tribuum praefectis, quo citius populus diuinam voluntatem cognosceret, et omnes, sensibus duntaxat et sana ratione vtentes, de canonico, vti hodie loquuntur, decore persuaderentur. Quam felici sidere Iudaei autem eiusmodi rixis, quibus hodie vexamur, potuerint carere, Cunaei verbis exponere liceat. Ita autem ille: „Enimuero, qua tempestate vates cum numine verba commutabant, aut alio pacto coelitus ea accipiebant, quae publicanda mortalium generi erant, nullae disceptationes controuersiaeque oriri de sacrorum curatione deque legibus et praeceptionibus diuinis poterant, propterea quod erant in medio, qui mortalium ineptas haesitationes et disputandi intemperiem resecarent. Autoritate enim, plus quam humana, armati vates, legum sacrarum atque ipsius numinis voluntatem proloquebantur. Quare qui illis auscultare recusabant, profecto quoniam infirmitate iudicii, aut errore, vel ignorantia, labi in prauos sensus nequibant, necesse fuit, vt refractarii contumacesque fierent, et excussa pietate ad idolorum cultum desciscerent. Nihil medium erat. Capessenda vatum imperii erant, aut ponenda numinis reuerentia. At sub templo posteriore, cum prophetas maior vis, afflatusque diuinus non ageret, omnia haec secus fuere. Quoniam enim iam nusquam erant sacrarum legum coelestiumque arcanorum consulti, in quorum verbis inesset plena fides, continuo dehinc mortales, non contenti scire, quae ab illis accepissent, ardorem mentium vltra ad riman-

Digitized by Google

da omnia tũlere; et ſuis ſe tenebris inuolũit humana imbecillitas. Quare controuerſias et quaeſtiones ex ſacris litteris eruere, morbus eſſe coepit deterioris aeui.„ Ad eandem ergo effata diuina publicandi veterem rationem accedit Ezechiel, qua Moſis aeuo diuulgabantur, omnium populi primorum examini ſubmittendo templi imaginem, ac promittendo cuiusuis rei, ſi qua occurreret haeſitatio, vberiorem explicationem. Itaque non eſt, vt ad myſticas interpretationes dilabamur, niſi Iudaeos Babylonicos forte ad noſtros mores componere ſeu familiarum principes nobis tamquam impigerrimos Coccejanos fingere velimus. Neceſſitatis etiam fuiſſe, mente a nobis dicta, inſpici ab auditoribus Vatis, templi deſcriptionem, ex ipſis acerbis ſatis facilè cognoſcitur; ſi memoria repetimus, in triſti illa templi Salomonis conflagratione, ſimul etiam periiſſe totum rerum ſacrarum tabularium, *in quo diuinitus olim datus* huius aedis typus erat reconditus. Quid itaque ſuperetat? Nihil prorſus quam vt Deus ipſe fatidico imperio nouam, vti olim, templi futuri formam haeſitanti populo offerri curaret. Et ſi dicendum, quod res eſt, nullus ambigo, vt credam, vaticinium hoc Ezechielis de aede poſtrema iisdem fere cum Vitruuio fatis iactatum fuiſſe, vtpote cuius textum figuris amiſſis reliquum tantum tenemus. Vatem enim deſcriptioni huic multas addidiſſe figuras, valde ſuſpicor, quoniam διάταξιν ſuam per partes omnibus interpretandam in mandatis acceperat, id quod in rebus architectonicis ſine variis figuris lineisque ducendis alio fieri modo nequit, vti res ipſa loquitur. Qui quaſi fieri demum potuiſſet, vt Ezechielis auditores ad vnum omnes tam plumbei tamque ab omni ſenſu humano alieni fuiſſent, vt ne vnus quidem, curioſitate abreptus, pluribus verbis ab Ezechiele in tam ſanctiſſimo argumento eruditi

volue-

Digitized by Google

voluerit? Hoc non crediderim de hominibus, quos Ezechiel quasi Athenienses sui temporis, rerum nouarum studiosissimos depingit, Ezech. XXXIII. 30. 31. coll. Act. XVII. 21. Esto autem, periisse has figuras et virum doctum adhuc desiderari, qui eodem ausu Ezechielis praescripta illustret, quo Goldmannus ille de figuris ex Vitruuio restituendis, in Germaniae famam tam egregie meritus est. Esto, nec talem virum vsquam repertum iri. Quid hoc rei ipsius refert? Nihil tamen per hanc iacturam de dignitate relationis detractum est, quin id, quod Deus posteris scitu necesse iudicauit, ad illos fuerit propagatum. Nec impedit; quo minus haec descriptio maximum in populi Iudaici antiquitatibus momentum constituat. Mihi autem in rerum praesentia quaesiuisse sufficit, quid Iudaei, qui aures oculosque picturae vatis admouere et qui, nisi fallor, primo loco audiendi sunt, ex mente autoris sacri cogitauerint. Hoc autem si teneo, tunc dubitandum est, vtrum ob caliginem, an ob perspicuitatem, qua pollet haec descriptio, tot insultibus fuerit exposita.

§. X.

De scopo descriptionis Ezechielis sententia Lowthii.

Vltima tandem restat tractationis particula, eaque, vti multis videtur, admodum difficilis. Quaeritur nimirum, quem demum, si prius dicta concedantur, finem habuerit tota Ezechielis adumbratio, cum constet, Sorobabelis, aedem ab illa quam maxime fuisse diuersam? Quid opus fuerit tot ambagibus, quas nunquam probauerit exitus? Verum est, multos quaestione hac crepera fuisse ita vexatos, vt, si rem recte intelligo, optimo iure pro foecunda dubiorum matre

haberi mereatur. Celeberrimus certe Lowthius, qui primus tamen in explicando Ezechiele desipere desiit, mire se angit, qua via et ratione huncce scrupulum ex legentium animis eiiciat, vt tandem diuinet, Prophetam desiderium populi ad patrios agellos reuertendi excitantem, timuisse, ne auditores illud, sincera futurae mediocritatis cognitione exuerent, tametsi Vates istam bene subolueric, Esr. III. 22. hinc verborum lenociniis, aedis figuram Salomonis elegantiae apprime similem fere pollicitum fuisse, quo populares ad patrium solum repetendum redderentur alacriores. At enim vero mihi concoctu difficillimum videtur, coruos hiantes tam astute a Propheta fuisse delusos, a propheta, inquam, veritatis spiritu agitato, abs quo tantum abest, vt aliud in pectore clausum, aliud promptum in lingua, habuerit, vt in rebus minoris, si ita dicere fas est, momenti, nunquam aliter atque animo gereret, praedixerit. Itaque hac in re mihi longe alia mens est, et quum me ipsum saepius vexauerit hoc dubium, ita rationes meas instituam, vt iis, qui secus sentiant, intactam relinquam libertatem, quam mihi saluam esse cupio. Ne autem argumentatio mea perperam collineet, sequentibus animi sensa comprehendam obseruationibus.

§. XI.

Scopi diiudicandi prima lex.

α) *Vbi promissionum diuinarum veritas, quoad certitudinem historicam, extra omnem dubitationis aleam posita est, nunc ab earum vsu ac complemento inter mortales ad illam infringendam, infelix cadit defumta argumentatio.* De veritate historica nostrae descriptionis apud Ezechielem, ob manifestum

ſtum apud Ioſephum teſtimonium atque alias ob rationes nunquam dubitatum fuit. Quomodo autem morem geſſerint eiusmodi mandatis liberrimae voluntatis homines vel non, hoc, (id quod eluceſcit ex ſimilium parium comparatione,) longe diuerſam diſceptationem poſtulat. In memoriam reuoco celeberrimam illam κληρουχίαν ſeu terrae diuiſionem, Iudaeis antiquitus promiſſam. Quis dubitaret de harum promiſſionum diuina veritate, quamquam ne vnus quidem peregrinantium praeter Ioſuam et Calebum beatas iſtas ſedes oculis conſpexerit, et quadrageſimo ſeptimo demum anno poſt exitum ex Aegypto, patribus occiſis, poſteris tantum, ſatis tarde et poſt varia rerum diſcrimina patria tranquilla redderetur? Ioſ XIV 7. Abrupit quidem ſaepiſſime patientiam gens infida ob nimiam expectationem, atque in illam, quod differebatur, fremuit, de veritate autem dictorum fluctuaſſe, alto premit ſcriptura ſacra ſilentio. Ad illas progredior promiſſiones, quibus beatiſſima reipublicae iudaicae amplificatio futura deſcribitur. Deut. XXVIII. 1—14. coll. Leuit. XXIV. 3—12. et quarum complementum eadem expectatione, quae templi Ezechielici ſtructura huc dum deſideratur. Quodſi enim omnes Iudaeorum annales maxima euoluimus diligentia, nunquam tamen vel vnicum temporis momentum reperire licet, in quo appareret, gentem iſtam ad tantam famam ac tam proſperam fortunam fuiſſe euectam, quantam illuſtris illa a Moſe propoſita imago affirmare videtur. Quis quaeſo autem ſui ipſius oblitus aſſereret, oratione tantum reliquiſſe ſupremum rerum dominatorem gentis ſuae felicitatem, re ipſa autem parui eius fata pendendo, vix alia decora, quam mediocria illi decreuiſſe? Quaſi extremae fuerit neceſſitatis, Meſſiam adventurum ex populo inferiore oriri, ſeu conſiliis diuinis ſolum

lum conuenerit Romanorum superstitionem et profanam Carthaginiensium mentem tanta nominis celebritate conspicuam reddere, imperiorum autem diuinorum custodes reliquis mortalibus quasi procudendos tradere, ac felicitatum tantum delectare titulis. Tantum enim abest, vt Salomonis aeuo illo aureo florentem rerum domesticarum formam conspexerint Iudaei, vt imperium huius principis, scriptore sacro, recte inter fortunam regis et subiectorum distinguente, memorabili ratione cum *animaduersione per scuticas* tristissimo comparetur omine, quam inclementem Mosis explicationem, scripturae sacrae profecto haud inferre nollem. Sufficit exitum harum promissionum irritum, a nemine, nisi a lectione scripturae sacrae alieniſſimo, ignorari, ac veritati consiliorum diuinorum ob hanc causam prorsus nihil decedere. Iam dudum etiam de omnibus praeceptis diuinis ac omni religione actum esset, si non prius eius veritatem venerarentur, quam demonstratum sit, qua ratione in hac vrbe, in illo pago, vel in ista mente, euentus cum diuina conueniret voluntate. Vtraque rationis et scripturae sacrae reuelatio testatur, mentem diuinam orbem hunc terrarum nequaquam eo spectasse, quo ergastulo tartareisque sedibus includeretur genus humanum. Longe diuiniores adsunt potius huius rei causae. Sed qualem horum consiliorum sortem nihilo secius inter homines conspicimus? Praetereo quicquid de pietatis penuria in Christianorum familia vbiuis locorum obuium, quid? quod pueris notum est. Et hoc tantum a rerum peritis vellem inspici, quomodo se gesserint ii, Christiano nomine superbientes, quibus vtramque perreptare Indiam datum est? Hic orcorum quasi omnia reperiantur plenissima. Siquidem, quo pedes Christianorum intrauere, simul etiam caedes, funera, auaritia, lascjuia et plus

 quam

quam Lycaonica feritas, ſub rei mercatoriae obtutu irrepſere, ſi vnam alteramque excipias oram, vbi aliquid Europeae pietatis emicare videtur. Et hi ſunt illi mortales, quibus coelitus datum eſt, vt luceant ὡς φωσηρες ἐν κόσμῳ? Phil. II. 15. Vtinam illi, qui in quaeſtione nugatoria de ſalute gentium aeterna deſudant, mentem excitarent mortalium, vt terrenae profanorum hominum ſaluti prius proſpiceretur, ne Chriſtianorum ſalus ipſa in hoc negotio redderetur dubia! Abſit autem, vt de eiusmodi impiis in religionem mortalium auſibus, vnquam dubitemus, Deum eſſe ipſum amorem pariter ac ſalutem generis humani perfectiſſime proſpicientem. 1. Ioh. IV. 8. Quicquid vero ad haec in medium allata exempla reſponderi poteſt, hoc certe de typo etiam templi Ezechielici eiusque ſanctitate valet, quae ſalua manet, etiamſi Propheta de hoc, quod tantisper concedamus, argumento ſurdis narrauerit auribus et a veritate auerſis. Taederet fere paulo longius in hac diſputatione morari, niſi homines, qui in quibusuis Philoſophiae partibus cum imperio verſari cupiunt, iuuenilem hanc diſputandi rationem ad nauſeam vſque recoquerent, quae ab defectu euentuum ad ſanctitatem ipſius teſtimonii deſumta eſt. Apoſtolus autem optimus earum litium maneto arbiter, qui dudum monuit: Num mortalium diffidentia, Dei fidem abolebit? Abſit! Quin ſit Deus verax et omnis homo mendax, quemadmodum litteris proditum eſt; vt ſis aequus in tuis dictis et cauſſam obtineas. Rom. III. 4. Ne autem ſemita paullulum in hac quaeſtione ceſſiſſe tantum videar, ad alia procedo, quae me ob Ezechielis templum inquietum reddidere placidiorem.

§. XII.

Digitized by Google

§. XII.

Altera lex.

β) *Si ipse Propheta conditiones addidit, ad quas scopum sibi in sermone praefixum diiudicari cupiat, eas leges vt accurate teneamus, necesse est.* Hoc in quibusuis autoribus explicandis omnis aequitatis ratio requirit. Agesis ergo, inspiciamus nunc, ab Ezechiele adiectam iussu diuino cautionem. Ita autem ille: Tu homo expone Israelitarum generi templum, *vt ab sua vitia erubescentes*, compositionem dimetiantur. *Quodsi suorum omnium factorum pudet eos*, formam templi et compositionem et exitus, aditusque seruent, denique omnia instituta exaequentur, Ezech. XLVIII. 10. 11. Binas ante oculos per haec verba ponit veritates sanctissimus praeco, ex quarum recta contemplatione, omnis fere de templo Ezechielis pendet suborta controuersia. α.) Notari meretur hoc loco primum, ad vniuersum respectare populum vatis orationem, quatenus XII. comprehendebatur tribubus, id quod etiam amori diuino, inde a patriarcharum tempore manifestato, conuenientissimum erat. Hinc abundant Prophetarum sermones, monitis, praeceptis, solatiisque genti, coniunctim consideratae, datis, vt tempore in recensendis testimoniis abuterer, quum solus Ezechiel optimus huius diuinae mentis sit interpres. Quanto etenim feruore, quantaque, vti orientalium mos est, styli acrimonia inuehit, in singularum tribuum, sub imagine sceleſtarum sororum, crimina! Ezech. XXII. Et ne locus de populo per tribus restituendo, dubitandi maneret, expressis verbis earum censum instituit, ne vnica esset, quae sese ipsam forte consiliorum coelestium expertem iudicaret. Ezech. XLVIII. 1. coll. Dan. IX. 7. Non sum nescius quidem, quot

Digitized by Google

quot mysteria etiam in hac tribuum enarratione suspicemur, quibus omnes fere Ezechielis lineae nihil nisi caligo et aenigmata sunt. Sed quid arcana eiusmodi suspicione opus est? Quum vates ea tantum dicendi ratione vtatur, quam superlatiuum rhetoricum appellant, quae totius complexus per partes numeratur, vt sensu singulorum argumentum eo clarius pateſcat. v. c. Kohel. III. 1—9. Luc. XII. 53. Rom. VIII. 38. 39. Eph. VI. 6—17. cet. Eo autem sensu, quem diximus, haec verba ab ipso populo, mysteriis reiectis, fuisse intellecta, adstipulatur Esdras, vbi ait: Egerunt Israelitae sacerdotes, Leuitae reliquique exules, eius templi dedicationem cum laetitia, et praeter multas alias hostias, *duodecim hircos lactentes, ad vniuersorum Israelitarum expiationem pro numero tribuum.* Esr. VI. 16. 17. Idem repetitur Esr. VIII. 35. Qui venerant ab exilio, hostias adduxerunt Deo, *vitulos duodecim*, omnium *Israelitarum nomine, capros piaculares duodecim* cet. Huic ergo numerosiori coetui templi Ezechielis forma erat data, nequaquam autem attenuatis illis redeuntium manipulis, qui recitis tandem, laeto exitu praebuerant audientes. Quemadmodum autem hoc, populo vniuerso consecratum restitutionis solatium, notatu dignissimum, sic etiam β.) alterum in verbis prophetae finem intentum, meditatione contemplandum esse arbitramur, vbi additur: *vt ante omnia pudeſiant Israelitae ob iniquitates.* Perciperent igitur ex seuera numinis vindicta, propter scelera ante patrata, non tantum sinceram tristitiam, quae firmissimis ad fruges meliores redeundi consiliis absoluitur, Dan. IX. 7. sed etiam ordinem obseruarent, ac leges tenerent pietatis, in quas cum hominibus fieret pax, et quae ab vltimis inde temporibus, erant immutabiles, testante formula, Exod. XIX. 5. *Si meum foedus* (i. e.

certe tanta mihi indignitate laboraret sententia, vt ne poetae quidem inferioris subsellii, eius rei memoriam addicerem, nedum afflatu multo sanctiore percito. Longe opportunior Israelitas ridendi, si ex mente gentis profanae loquendum est, et multo cum maiori acumine coniuncta, in promtu erat occasio. Maxima enim admiratione, et, vt fit in rebus nec inopinatis, auribus arrectis acceptam Ezechielis narrationem, in rumores totius populi abiisse certum putamus, nisi, si id est, quod Israelitae lapides et non homines creduntur. Ex prisca Mosis et Salomonis memoria perfecte tenebant, quam arctissima propinquitate templi disciplina e cineribus semel reviuiscens, cum reliqua fortunae suae ratione contingeret, qua de causa non poterant non etiam post Ezechielis descriptionem datam, certissimam sortis suae mutationem in sinu gaudentes expectare, id quod eo magis exultandi canendique libidinem excitare oportuit, quo certiores ex imagine Prophetae, quam oculis manibusque terebant, de re ipsa erant facti. Qualem vero nunc, haec meliorum temporum apud Israelitas spes, vbi ad Babyloniorum aures peruenit, (id quod omni caret dubio) ridendi materiam suppeditauerit, ex argumento rei ipsius, ingeniique humana indole facile perspicitur. Quodsi enim Babylonios fastu turgidos, luxuria diffluentes, perpetua felicitate vanissime securos et, quod praecipuum est, consiliorum diuinorum ignarissimos animo contemplamur, tunc ludibrium eorum perceptu facile apparet, quo carmina de nouo Sione, stolida impietate ab Israelitis expressa, tanquam de suauibus rebantur, victi populi somnio, prius non quam coelum rueret impleturo. Veritates autem per Ezechielem propositas, in carmina fuisse ductas, apparet ex Ezech. XXXIII, 32. Vniuerso tamen, (vt e diuerticulo in viam redeam) occasione

nouae

nouae aedis denuo instaurandae exceptionum diuinarum complexu, (quas veteres Theologi Reseruata diuina appellant) nullus tamen alius apud inertem gentem excitabatur assensus, nisi illi, qui etiam nunc proh dolor! beneficiorum coelestium testificationi redditur. Quo nimirum non mentem in melius illorum commemoratione mutamus, sed his gratiae diuinae testibus, tantum tranquilliore in nosmet ipsos fraude abutimur. Hinc et obedientiae et pietatis studium arctissime cum renascente populi felicitate coniunctum, incredibili tam contemtione, quam neglectu excipiebatur. Id quod paucis, alioqui omnis historia iudaica esset describenda, commemorari licuit.

§. XIV.

Quanti in captiuitate Iudaei Ezechielis descriptionem iudicauerint?

Falleremur profecto turpissima credulitate, si promissiones diuinas de patria Iudaeorum libera, ac de Cyri, ob mores istorum temporum peculiarem indulgentiam, et pro miraculo quasi politico habendam, ab Israelitis tanta alacritate arreptas putaremus, vt effusa multitudine instar locustarum examinum, vt ita dicam, parentum sedes repetierint. Quum enim eo esset deuentum, vt μετοικεσίας latebrae relinquerentur, res longe aliter euenit, et animo plane nudato, quales Iudaei essent, de nouo apparuit. Siquidem maximus totius populi numerus, exiguae redeuntium multitudini adiungi, illecebris alieni ac diu dilecti soli captus, foedissimo neglectu recusabat, quo factum est, vt fratribus etiam erga patriam optime animatis, nouae reipublicae ἀποκατάστασις multo tristior difficiliorque redderetur. Etenim vbi quadraginta millia hominum et, quod

ſupra eſt, ſumtus in nouum templum exſtruendum impendi cogebantur, qui numero decuplo maiori conficiendi erant, qua quaeſo facilitate, rebus ſic ſe habentibus, et potiori diuini foederis ſtatim ab initio lege rupta, de futurae felicitatis diſcrimine coniectari poterat? Deploranda certe remigrantium tenuitas non tantum miram in aede ſanctiſſima aedificanda cunctationem effecit ac mutationem, ſed domeſticos quoque conatus ita depreſſit, vt domicilia exſtructa, plateaeque Hieroſolymarum recens poſitae, ſeſſorum paucitate vix habitarentur et vbiuis ciuium deſideraretur numerus. Neh. VII. 4. Itaque maxima et, quod praecipue hic in cenſum venit, opulentior gentis pars, cum ne pedem quidem ad buſtum templi prioris mouere, nedum de erogandis ſumtibus ad praeſentem neceſſitatem cogitaret, qualis quaeſo Ezechielis templi futura ſors maneret reliqua? Quid mirum *reliquam gentem, eamque* Esdrae obedientem non quid voluerit, ſed quid pro temporum et facultatum ratione et tarditate popularium potuerit, feciſſe? Quid mirum, (concedatur enim ad tempus) altare holocauſtorum non ad Ezechielis formam ſumtuoſiorem fortaſſe, ſed ad Moſis typum caſtrenſem et exiguo aere parabilem fuiſſe exſtructum? Quis tandem vaſa ſacra a Baltaſare foediſſime polluta, Dan. V. 2. coll. I. Macc. IV. 49. iterum in templum obſtupeſcat templo illata cum fratrum diſcordia, aerisque raritate noua paranda haud concederentur? Sed ſatis de hoc malo, quod multa alia excepere. Relicta enim illa immorigera multitudine, quae in ſedibus profanis deliteſcere cupiebat, hos tantum reſpicio, qui ſe lubenti animo, nouae Ethnarcharum diſciplinae alumnos profitebantur. Magni ſine dubio exſtitere quidem viri, Esdras, Nehemias et Sorobabel: Nunquam tamen aequi rerum diiudicatores, ab annalium eorum inſpe-

ctione

ctione recedent, quin vicem tantorum virorum doleant, duriſſimamque eorum prouinciam. A nobis quidem mitiorem vitae rationem ſectantibus vix comprehendi, nedum ſentiri poteſt, quo improbo labore, tam immorigeram, mortalium turbam, huc illuc traiiciendo, ad nouum quaſi animum, ad leges priſtinas, ad cultum diuinum ſolenniorem, omnemque morum diſciplinam reuocare, fatigabantur. Nullum fere capiebatur conſilium, cui non montes quaſi moleſtiarum obiicerentur, vt recte de Ducum iſtorum labore valeat id, quod Plinius olim ad Lupercum fatetur. Nequaquam pars gubernatoris eſt virtus, quum placido et quum turbato mari vehitur: tunc admirante nullo illaudatus, inglorius ſubit portum: at cum ſtrident funes, curuatur arbor, gubernacula gemunt, tunc ille clarus et diis maris proximus. Et talis profecto erat iſtorum virorum fortuna, qui ex longinquis ſedibus populares ciendo, ferebant domum, vt ex longa confuſione in aliquam tolerabilem rempublicam, vel ſi mauis, reipublicae imaginem redigerent. Mitto impedimenta externa per Samaritanos aliosque bonae cauſae inimicos excitata, quibus recens orta quaſi per latus fodiebatur Iudaeorum felicitas, quaeque impreſſe ab Esdra ac Nehemia recitata leguntur. Ad nouae coloniae pietatem adiicio mentem, quam Ezechiel Cap. XLIII. 7. 10. et aliis in locis, tanta cura, cum templo futuro coniunxerat. Et hic iterum oculis quaſi cernitur, omne Iudaeorum religionis ſtudium vix vltra tepidem proceſſiſſe. Niſi etenim acerrimis Haggaeus aliique Prophetae monitis excitaſſent populum, diu fortaſſe non tantum Ezechielici templi imago fuiſſet proculcata, ſed ſimul etiam omnis cultus diuini in vniuerſum diſciplina, religionisque antiquae ὑποτύπωσις, Hagg. I. 4. Sachar. VII. 9. 10. Quicquid igitur aduerſi acciderit typo noſtro

ſtro Ezechielis, hoc nuſquam niſi ex tarditate mortalium repetendum, ſole clarius apparet. Deerant nimirum ſedulae operi admouendae manus, deerant ſubſidia ciuium opulentiorum, extra patriam ſalutem quaerentium, deerant tandem conſiliorum diuinorum veneratio pietatisque ſancitae ſtudium, quo tamquam ſpiramento, vti Ezechiel ipſe loquitur Cap. XXXVII. 5. disiecta reipublicae oſſa, neruis inductis, carne ac cute tegerentur, atque noua coeleſti incolumnitate reuiuiſcerent. Quodſi enim vllius gentis de prouidentia diuina inſtitutio tam clara tamque illuſtris fuit, vt certiſſime perſuaderetur, quam arcte cum omni diuina reuelatione coniunctae haereant ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, haec certe gentis iudaicae fuit. Quippe quouis tempore ad catecheticas pertinebat veritates, nec copiam, nec opes, nec commoda ſeu aduerſa eſſe extimeſcenda, vbi res de beata populi conſeruatione ageretur. Deut. XXXI. 7. 8. Iud. VII. 7. 1. Sam. XII. 6. 2. Chron. XIV. 11. cet. Quo magis igitur huic inſtituendi rationi a teneris aſſuefieri cogebantur Iudaei, tanto foedior huius fiduciae erat neglectus in tam ancipiti rerum ſuarum articulo, in quo fatorum ſeries Babylone egredientes deprehenderat. Nunc autem mirari prorſus deſino, ſurdis auribus enarrata ab Ezechiele beneficia beatum illum euentum nequaquam attigiſſe. Miraculi autem inſtar, vix toleranda foret huius templi accuratiſſima exſtructio, ab hominibus, tanta negligentia tantaque vecordia in ſe ipſos fallacibus, vt ne vnicam quidem, ex tam variis, tam multis tamque iucundis legibus, quae pictae quaſi ante oculos tamquam ſummae felicitatis indices ſtabant, debita cum pietate amplecterentur.

§. XV.

§. XV.

Sententia autoris de hac quaestione.

Hactenus rebus disputatis, consulto mihi animo finxi, quasi extremus descriptioni Ezechielicae contigerit neglectus, supinaque obliuio, qua multa alia effata diuina alias fuisse excepta, ex annalibus sacris notum est. v. c. leges de potu Zelotypiae, de celebrandis Iubilaeis, de historia naturali a sacerdotibus sedulo addiscenda. Leu. XI. coll. Ezech. XLIV. 23. cet. Sed dum friuole, et tamen saepissime a neglectu legum diuinarum ad diuinam earum excellentiam, quasi captum tunc temporis humanum superauerint, argumentantur multi, et quod etiam hic de templo Ezechielis fieri solet: ex iudicibus a partium studio alienis tamen scire vellem, *vnde quaeso constaret, Iudaeos ex Babylone reduces ad Ezechielis formam haudquaquam aedificasse?* Nisi enim in re grauissima consideranda versaremur, ridiculum profecto foret, negare templum posterius ad typum Ezechielis conditum, neutro tamen ne leuiter quidem cognito, seu curatiore dimensione, qualis conuenientia inter imaginem et rem ipsam intercederet, prius instituta. Siquidem tolerabile quid ab interpretibus Ezechielis hac in grauissima causa vnquam prolatum esse, haud memini me legere. Quid itaque clamitant, de tanta architecti nostri diuini caligine, quanta non temere alias? Vbi sunt, qui in dimensione Sorobabelis templi operam collocarent? Inuerto itaque disceptationis ordinem, vt multo magis credam, egregie omnino, cultui publico recens instaurato, nostri vatis formam inseruiisse. 1. Qua de causa bonis istis captiuitate solutis hominibus, peccatum aliquod negligentiae adfingerem, de quo omnis sacrae historiae series, quae ne leuissimam gentis

in Deum aberrationem indifferenter tulit, perpetuo conſenſu ſilet? Cur Ezechielis formam a populo neglectam putarem, qui eiusmodi diſciplinae a Moſis Salomonisque aſſueta, ad ſuperſtitionem vſque litterae inhaerere inceperat? Et cur tandem, legibus interpretationis hiſtoricae omnibus proculcatis, in cerebro prius hominum neſcio quorum, quam in rerum memoriae proditarum complexu quaererem, quae vti cauſae et effectus ſe inuicem contingunt? Si in hoc, quod ab me haud alienum puto, peccauero, meliora non a critico, cuius partes hac in lite nullae ſunt, ſed ab hiſtoriae rerumque mathematicarum gnaro, edoceri, lubentiſſimo caperem animo.

2. Omnis Prophetae noſtri de templo inſtitutio, ſi praecepta eius centies legeris, nihil aliud niſi priſcam Moſis ac Salomonis diſciplinam, quod ad eſſentiam rei ſpectat, repetitam et ſeuere inculcatam comprehendit. Quoties itaque in Esdrae et Nehemiae populum inſtitutionis Moſaicae tenacem reperio, toties ſaluam fuiſſe Ezechielis praeſcriptionem, ob extremam cum ſueto religionis tenore conuenientiam, annuente hiſtoria, ſuſpicor. Eſr. III. 2. verba illa: *Aram Dei* conſtruxere principes ad facienda in ea ſolida ſacrificia, *vti in diuini Moſis lege* praeſcriptum eſt: nequaquam de arae illius figura moſaica loquuntur, ſed ſeriem potius cultus publici orthodoxam teſtantur, quam ab offerendis matutinis ac veſpertinis ſacrificiis ordiri, rectum putabant. Et pii iſti ſeniores, qui, comparatione inter vtramque aedem pie inſtituta, non inuerſum plane templi ordinem et figuram, ſed egenam eius faciem, et prioris elegantiae defectum illacrimabant. Eſr. III. 12. alias enim non fletu, ſed manibus vindicaſſent, vbi de conſtitutione priſcae diſciplinae fuiſſet periclitatum. Verum eſt, Salomonis aeuo, omnia in templo auro fulſiſſe atque argento, nullique

quan-

Digitized by Google

quantiuis pretii materiae peperciſſe pium principem, ſed hunc nitorem ad rem ipſam aliquid feciſſe, quis quaeſo affirmaret? Salomone ipſo meliora ſentiente. 2. Chron. VI. 18. Et ſi aperte loqui fas eſt, tolerauit magis, ex mea quidem ſententia, quam efflagitauit Deus illuſtrem illam Salomonaeam in cultu publico pompam, ob felicitatem nempe illorum temporum, in vniuerſum conſideratam, quaeque 2. Chron. I. 15. ita deſcribitur: iam vero argentum et aurum Hieroſolymis praebebat rex, perinde ac lapides et cedros, tanta copia, quanta ſi cauſi peſtres fuiſſent cupriſici. Quae verba, ſi pictura poetica, qua nec hiſtorici orientis abſtinere ſolent, denudabis, nihil aliud, niſi ſummum ſubitaneumque rei mercatoriae et artium pacis incrementum exhibent. Et vti cuſtodia corporis, aureis clypeis in aeneos mutatis, ab Rehabeamo, eadem tamen manſit; I. Reg. XIV. 27. ſic nihil vel parum ad cultus Iudaici εὐσχημοσύνην contulit, vtrum plus minusue auri argentique ſacrae ſuppellectili (praecipue fractis reipublicae viribus) fuerit illitum. 3. Nec ſine cauſa etiam factum eſſe arbitror, quod Ezechiel in ſua deſcriptione, quaſi ante tenuitatem populi reducis cernere videretur, de quauis auri aliarumque maioris momenti impenſarum profuſione ſapientiſſimo fileat conſilio. Rebus enim ad naturam aedis tantummodo pertinentibus contentus, ornatum illum externum Moſi certas ob cauſas mandatum, et Salomonis aeuo ad luxum vſque innocuum toleratum, vates noſter parum penſi habet, et parcens ſumtibus atque extremis tantum ichnographiae lineis ductis, ad cultum diuinum rerumque ſacrarum ordinem properat, quibus religionis ac decoris eius interni manifeſtatio abſoluatur. Demto autem per prophetam ſumtuum erogandorum a popularibus periculo, nunc amplius quaero: 4. Cur populus, licet omnibus peccatis

obnoxium mihi fingam, descriptionem Ezechielis abiecerit? Cum mortalium animus vix alacrius monitis diuinis sese audientem praebeat, quam si sumtibus impendendis, seu solemniore impietatis missione supersedere possit. Itaque gratissimo cognoscerem animo, si quis hanc mihi dissolueret argumentationem. Siue enim mente capti, siue rebelles erant Iudaei Sorobabelis tempore, seu recte se ad Ezechielis templi imaginis obseruationem accommodarunt. Non fuerunt mente capti, alias enim rem pecuniariam profudissent, quam nec incolarum raritas, nec earum rerum domesticarum ratio, multo minus mandatum diuinum impendere patiebantur. Rebelles autem fuissent, si, deficiente alia imagine, Ezechielis etiam typo in vulgus noto, et ob vilitatem amabili abiecto vel ex ingenio vel peruerso profanos imitandi studio, aedificassent. Abs quo tamen errore eo vsque *populus iudaicus insons* a prophetis pronuntiatur, vt Haggaeus, seuerus ille morum arbiter, solum laboret de castigando tepore ac animi ignauia. Hag. I. 2. II. 3. coll. Nehem. X. 30. 2. Chron. XXXVI. 12. vbi de habitu animorum in verba prophetica aperte dicitur. Et quid statuendum, si Iudaei, quibus apud Babylonios, luxuria, diuitiis ingenioque tam famosos, templa elegantissime et ad variam formam exornata, nusquam non conspicere datum erat, haud incongruum putassent aliquid profanae pulchritudinis nouae Hierosolymitanae aedi adiicere, ac consultius iudicare, exempli loco, portas sanctuarii occidentem versus ponere? Et quae sunt alia mutationum genera; nobis quidem lenia, cum disciplina autem iudaica comparata, nullis piaculis reſoluenda. Hinc omnibus collectis argumentis, nisi fors fortuna alia dubia ferat, sine cunctatione ad opinandum feror, Ezechielis nostri descriptionem magni et summe necessarii pe-

nes

nes populum iudaicum fuiſſe vſus, quo recepta aedificii forma diuina, tanta firmitate animo inſculpta retineretur, vt ne Herodes quidem, parcus ille Deorum cultor, templo funditus deiecto, auſus ſit, quicquid ad antiquam ichnographiam pertinuit, vel in rebus leuiſſimis mutare, tametſi Graecae Romanaeque elegantiae haud ignarus et in ornatu ac ſplendore adiiciendo profuſiſſimus eſſet.

§. XVI.

Cur templum Ezechielis nonnullis faſtidio ſit.

Ceterum, remota illa tarditate in libros ſacros, qua facile mortales feruntur, rationes quaeſiui, qui fiat, vt templum Ezechielis tam inique tractetur, quum tamen eadem imago, ſi apud Herodotum aliumque ſcriptorem extitiſſet, veneratione neſcio quali quantaque excepta fuiſſet. Et ſi quid diuinare datum eſt, duplicem cernere huius rei rationem mihi videor. 1. Partim nempe in myſticarum explicationum mole reſidet malum, qua bonus ille vates prius obrutus iacuit, quam eius luce grammatica et hiſtorica ageretur, id quod nec ipſe concoquere poſſum. Noui ſenſum myſticum eiusque veritatem. Quamdiu autem mentis diuinae ſatis in ipſa enarratione perſpicio, vel non manu quaſi ab ipſo ſcriptore ſacro rapior aliorſum; tamdiu a ſenſu proprio vel latum vnguem me haud remoueri patior. Perſuaſiſſimus, veritates Meſſianas in omni vaticiniorum complexu tamquam ἡγεμονικὸν conſiderandas, vtramque illo facere paginam. Nunquam tamen in porta illa clauſa, Ezech. XLIV. 2. cum Patrum nonnullis Mariam Deiparam et in Gogo et Magogo Antichriſtum quaererem, quem Iudaei, Babylone delitescentes, parum curaſſe nouimus. Cum

illic non nisi latus quoddam aedificii describatur, futuris apparitionibus (quarum rationem iam non explico) destinatum, certe futuris, si ob impietatem populi, quam perpetua rerum turba exciperet, fieri potuisset. *Hic* autem solatia suppeditantur, quibus boni, ob asiaticorum regum in ecclesiam iudaicam impetus factos, ad Messiam vsque erigantur. In quibus autem nomina ficta eo minus miror, eo quod hac praecipiendi ratione, hominibus fata suorum temporum perfecte cognoscentibus, exacerbatio inimicorum arcebatur, sine dubio expressa nominum mentione, futura, et qua modestia ac prudenti eloquendi modo etiam Paullus 2 Thess. II. 3. seq. vtitur. Sed de eiusmodi rebus explicatius agere, ob scopum mihi praefixum prohibeor, qui credam, Capita XXXVIII. XXXIX. Ezechielis, paralleliſmo ex Dan. IX. et X. nec non Hagg. II. 22. seq. adhibito, esse explicanda. Quicquid autem *insulsi* omni mysticae applicationi, iustis explicationis legibus neglectis, insit, non possum non fateri, etiam 2. *ob aliam causam* in Ezechielem peccari, quam in feruore disputationis reperisse puto, quae nostra aetate, mediocri ecclesiae emolumento, de diuinitate librorum historicorum V. T. agitur. Quid itaque mirum, si et historica de templo Ezechielis particula quasi per consortium correpta sit, et cum aliis rebus S. S. historicis ad fabellas suauissimas relata, ad quas, si dicere licet, posita lucerna,

deducat pleno stamina longa colo.
ac circa grauibus pensis affixa puella
paulatim somno fessa remittat opus.

Omnino persuasus sum, de summa criticorum ope, quam eorum industria religioni varia ratione afferat, vbi pia mente et multiplici graecae romanaeque litteraturae exercitatione distincta, ad sanctiores accedat labores. Sed apparent profecto rari

hi

Digitized by Google

hi homines. Multi potius tribunis olim plebis ſimillimi, tanquam artifices improbi opus quaerunt, et ſemper aliquid in re publica ſacra volunt, vt ſit, ad cuius curationem a reliquis adhibeantur. Quodſi vero harum rerum periti, quique recuperatorio quaſi iudicio, de luce ſcripturae ſacrae inferenda pronunciare putant, maximo, quod ad Ezechielem pertinet, adhuc aere alieno premantur, vti ſupra dictum eſt; ex tripode de rebus huius vatis profari, nec pium profecto, nec iuſtum eſſe, pro indubitato credimus. Mihi, in lectione ſcripturae ſacrae a teneris educato, et omnem populi iudaici hiſtoriam, *pro mera doctrina diuina* habenti, Act. VII. Ebr. XI. quo ab omni rerum enarratarum diuiditur, nihil prorſus nocebit, quicquid etiam a doctis vel indoctis aduerſus diuinitatem librorum hiſtoricorum, vel ex animo vel ſimulate clametur.

§. XVII.

Conſiliorum diuinorum in hoc negotio breuis repetitio.

Conati itaque ſumus, ſi qua ratione potuit, mederi nobismetipſis, et haeſitationi noſtrae, quae ob Ezechielis deſcriptionem vel lucis vſura puniendam vel equuleo myſtico iectam, oborta ſit, pro modulo interpretationis ope ſubuenire. Quodſi igitur concederetur, omnem hunc typum propheticum, fruſtra prorſus fuiſſe traditum, miſerrimae quidem huius populi ignauiae nos comminiſcereſcere aequum foret, veritatem autem praeceptorum diuinorum falſam iudicare, quam maxime fatuum eſſet, cum experientia praeceptrice vbiuis oculis quaſi cernatur, quomodo mortalium pectora erga beatiſſimam numinis mentem animata ſint. Itaque abſit, vt cum iniquis noſtri Prophetae obtrectatoribus egregium illud antiquitatum iudai-

daicarum monumentum, illaque capita, in quibus de templo exponitur, ſuae matri tradi, ſeu, vt ita dicam, obtorto collo ex ſerie rerum ſacrarum eiici foras patiamur, quum ſine dubio quilibet ingenti excipiatur ludibrio, qui auiarium Varronis ſeu Laurentinum Plinii, verbis deſcripta abolenda iudicet, eo quod a paucis intelligantur, ac ſuis premantur difficultatibus eadem ratione, qua Ezechielica ichnographia egregie abundat. Eſto itaque deſcriptio haec prophetica, ſi conſilia diuina ſpectantur, illuſtriſſimum *diuinae prouidentiae*, quae nulla turbatur humanarum rerum confuſione, et omnia ſimul perſpicit, *documentum*, et, quod peculiare illi ineſt, *architectonicum*, *quo diſciplina templi ſemel fundata*, *ſarta tectaque ſeruetur*. Et hoc inter conſilia diuina omnium primo ponendum eſſe arbitror, quicquid etiam nugarum recentiores Iudaei afferant, quas Bartoloccius larga meſſe collectas ſuppeditat. *Appellet ineptus iſte* Ezechielis interpres Sanctius hanc deſcriptionem *inſulſam*. Abſit modo, leuitatem huius hominis in explicanda S. S. non tam multi noſtro tempore imitentur, qui non quod pueri in faba reperiſſe, ſibi viſi ſunt, vbi vno fere habitu quaerunt: Cur hoc mihi aliisque tum difficile eſt? Cur tam multas explicationes ſenſui communi aduerſas excogitarunt? Quid iuuat aenigmatum ſolutio, diuinatione tandem abſoluenda? Quid, ſi tota res ficta? Si Samaritani ingenii figmentum? Scilicet! Finxerunt. Exequias Ezechieli! Et quid tum? vtica nunc aureaque, ſi Diis placet, remanet ars, qua nihil ſcitur, multoque ſatius fuerit, vt ait ille, nullam nobis a Deo datam eſſe rationem, quam tanta cum pernicie datam. At enim vero, cum ſententia de diligentiſſima deſcriptionis Ezechielis obſervatione, ſub initio nouae aedis, ad tantam, quam difficillime mihi eripi ſino, veritatis ſimilitudinem propenſa videatur; con-

consilia diuina multo clariora elucescunt. Isto enim, de quo iam dixi, pro fundamento reliquorum ante omnia iudicato, perspicio nunc, quantae sacri architecti, templi disciplina, maxima in rerum confusione et inter patria extorres, necessitatis fuerit. Animum nimirum illum antiquum iudaicum et patriarchalem, quicquid etiam aeruginis adhaereret, in summo illum abiiciendi discrimine inter populares retinuit, tanta quidem mente, vt multitudo licet Iudaeorum fatorum saeuitia quasi guttulae ab oceani fluctibus absorberetur, semper tamen propago gentis sincerae supereſſet, quae futurorum causa sincerum Iudaeorum animum, qualem hodie gallica elegantia, Genium nationalem appellant, retineret, et foecunditate mirabili pro peculio accepta citissime damna perpessa, resarciret. Fateor peculiarem hunc animi iudaici indolem, qua natio haec vnica, quantum nouimus, in omnibus mutationibus earumque furore stetit et adhuc durat, quam maxime diuini aliquid sapere, vt omnem super fata populorum philosophandi rationem, aut plane nullam esse dicatur, aut populum iudaicum ob hoc miraculum psychologicum, vt ita dicam, etiam in miseria sua, memoria dignissimum videri. Nondum satis consiliorum diuinorum. Populo enim ad veterem de templo morem, siue inuito siue consentiente tracto, ac in vnum locum iterum coarctato, insignis ista gentis thesaurariae prouincia, qua Iudaei omnem religionis reuelatae apparatum custodirent, continuata et recens stabilita apparuit. Vt ad τὸ πλήρωμα τῆς χρόνου vsque, eodem munere inter terrarum incolas fungerentur, quo Prophetae apud ipsos inclaruere. Iugum vero muneris istius vt ferrent placidiores, consilio itidem sapienti, ingens beneficiorum terrestrium vbique adiiciebatur, quo boni illi homines ob molestias redderentur indemnes, quas ob reliquos mortales ferre, sibi diuinitus decretum erat. Hinc etiam Ezechiel XLVII. 1. antiqui-

tus recepti τρόπε παιδείας memor, nouae de templo inſtitutioni ſtatim ſubiungit breuem et, vt eius mos eſt, elegantiſſimis diſtinctam imaginibus beneficiorum patriae repetitionem, quae magna copia in ſingulis fere S. S. libellis diuiſa reperiuntur. Quantum vero tandem Ezechielis definitio, rebus reductorum iudaeorum domeſticis et ſacris attulerit vtilitatis, ſupra ſatis dictum puto. Illic, ne de penſionibus ad aedem perficiendam exigendis angerentur, hic, ne formidine hoſtium nec opinatorum ſeu fratrum patriam foediſſime negligentium, deſperabundi ab omni opere inchoando prorſus ceſſarent. Quodſi itaque aliquid caliginis Heracliteae Ezechielis vaticinio architectonico, quod non prorſus inficior, inhaereat, hoc profecto nec in conſiliorum diuinorum manifeſtatione, nec in ſerie interpretationis hiſtoricae, ex ipſo ſcripturae ſacrae ſyſtemate arceſſenda, latet. Accedat modo nouus criticorum in emendando textu deſideratiſſimus labor, et curatior variarum rerum enodatio mathematica, ad quas lector attentus ſaepiuscule allidit. Nam vereor haud ab re, ne laboribus hoc in negotio, ab Lightfooto, Conſtantino l'Empereur, Cumberlando aliisque egregie, ſed ex parte tantum praeſtitis, vbi res ad vatem applicare animus eſt, multum lane poſſit adiici vel in illis immutari. Secundet autem ſummum numen hos eruditorum conatus, ab omnibus gratiſſimo animo agnituros, qui didicerint, quid ſibi velit Dauidis effatum: oraculorum tuorum ratione oblector ac ſumma opulentia Pſ. CXIX. 14. vt et tali labore, quantum fieri poteſt, excitetur ſemperque ἀσάλευτος vigeat praeſtantiſſima illa morum diſciplina, qua templi ſui diſtinxit deſcriptionem. Docebunt ſacerdotes autem meos, quid inter ſacrum et profanum differat, monſtrabuntque diſcrimen puri et impuri. Iidem controuerſiis praeerunt, cauſas meas diiudicabunt, illis ius dicent, et meas leges ac inſtituta in omnibus meis ſolennibus cuſtodient, meaque ſabbatha agent ſanctiſſime. Ezech. XLIV. 23, 24.

EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO X.

EXEGETICO-THEOLOGICA

IN

LOCVM DIFFICILIOREM

IESA. VIII, 20.

Digitized by Google

Digitized by Google

SECTIO I. PRAELIMINARIS.

§. I.

Nullus ferme ſcripturae ſacrae locus aetate recentiori magis eruditorum attentionem allexit a), quam dictum illud Ieſaiae notiſſimum, quod deprehenditur Capite VIII, 20. Sed quo magis per diuerſas interpretum ſententias obſcuritatis macula huic dicto fuit adſperſa, eo certius illud ſine cauſa factum eſſe oſtendi poteſt, eoque magis annitendum eſſe arbitror, vt macula illa abſtergatur, et obſcuritas ipſa remoueatur. Faciamus igitur iam periculum hac in re! Et optime forſitan illa ſuccedet, quando verum eumque perſpectu facilem dicti huius ſenſum primo oſtendemus, et varias deinceps interpretum circa idem dictum ſententias in certas diſtribuemus claſſes, ſententias illas diiudicabimus, et quid contra quamlibet earum moneri poſſit, modeſte indicabimus.

a) Conf. noſtra *Biblioth. orient. et exeg.* P. V. p. 137. ſq. et Part. VII. p. 254. ſq. nec non *Allgemeine theologiſche Bibliothek* Vol. III. p. 288. ſq.

Digitized by Google

§. II.

A plurimis theologorum nostrorum locus iste ex Iesaia adductus inter dicta classica theologiae dogmaticae in articulo de Scriptura Sacra refertur, ex quo probare volunt perfectionem finalem siue sufficientiam scripturae sacrae in rebus fidei, et, quod addunt alii, scripturam sacram esse iudicem controuersiarum fidei infallibilem. Sic enim v. g. SEBAST. SCHMIDIVS [b]) ad probandam vltimam propositionem concludit: Ad quodcunque solum ablegatur vniuersus populus, et obligatur in soluendis dubiis circa salutem ita, vt eripiatur omnis ignorantiae excusatio, et excludatur solutio pythonum et diuinatorum, tanquam neque necessaria, neque infallibilitate par; illud solum est iudex controuersiarum fidei infallibilis. Atqui ad legem mosaicam et testimonium scripturae etc. Ergo. DAVID HOLLAZIVS [c]), praemissa breui loci nostri explicatione, addit: Ad quodcunque solum ablegatur vniuersus populus et obligatur in soluendis dubiis circa salutem, illud est vnica et adaequata norma, iuxta quam omnia de salute hominis mota dubia examinanda et soluenda sunt. Atqui ad legem mosaicam et testimonium scripturae etc. Ergo. IOACH. LANGIVS [d]) monet: Es ist im übrigen dieser Ort wohl zu merken, da er uns auf die heilige Schrift, als die einzige Richtschnur unsers Glaubens und unsers Lebens führet. Da sie nun solches schon zu den Zeiten Iesaiae hinlänglich seyn konnte, wie vielmehr soll und kann sie uns darzu dienen, nachdem durch die Schriften der Propheten, auch Evangelisten

b) *in Collegio biblico priori* Loc. I. Dict. V. §. 13. p. 74.

c) *in Exam. theolog. acroamat. vniuersam theol. thetico-polemicam complectente*, p. 142. edit. Telleri.

d) conf. eius *Prophetisches Licht und Recht*, p. 80. in fine.

Digitized by Google

ſten' und Apoſtel, eine ſo reiche und herrliche Aufklärung darzu gekommen iſt? IOH. IAC. RAMBACHIVS e) ſcribit: Eſa. 8, 19. 20. werden die Jüden von den *Wahrſagern* hinweg, auf das *Geſetz* und *Zeugniß* gewieſen, als auf die vnicam regulam fidei et vitae, unter der Bedrohung, daſs diejenigen, die ſich darnach nicht richten, die Morgenröthe nicht haben, d. i. weder lucem gratiae noch gloriae ſehen ſollten. GVSTAV. GEORG. ZELTNERVS f) haec habet: Varia quidem ex hactenus explicatis Iesaiae verbis poſſem deducere dogmata; ſed reſpiciens ſcopum, et modum meae tractationis, vnicum aſt primarium conſidero: *verbum dei* nimirum *pro principio cognoſcendi religionis vnico eſſe adhibendum*, — Deus enim id I) iniungit, per emphaticum illud יורה, et quidem II) addita poena, quod illi, qui verbum Dei negligunt, careant illuminationis diuinae tandemque ſalutis beneficio. III) alia etiam reiicit principia, ſolo Dei verbo nobis commendato propoſitoque. SAMVEL FRID. ZICKLERVS g), hanc infert ex dicto noſtro concluſionem: Da nun die Jüden einzig und allein auf die Schrift hingewieſen und gewarnet werden, keine andere Lehre in Religions-Sachen anzunehmen, noch ſich bey ihr Raths zu erholen; ſo muſs die heilige Schrift hinlänglich ſeyn zur Seligkeit: und braucht man daher in dem Werk der Seligkeit, auſſer ihr, keinen Erkenntniſsgrund. Et deinceps addit *Anmerkung 1.* Verweiſet hier der Prophet, bey Glaubens-Sachen, in allen, und alſo auch zweifelhaften Fällen

e) conf. eius *Dogmatiſche Theologie, oder chriſtliche Glaubenslehre*, p. 201.

f) in Diſſert. theol. *de aurora fidei inter rationis tenebras emergente*, ad Iesa. VIII, 19. 20. quam ſub eius praeſidio defendit WOLFGANG DANIEL SONNEMAYER, Altorfii 1724. p. 32.

g) vid. eius *Ausführliche Erklärung der Beweisſprüche heiliger Schrift* Part. I. p. 56 et 57.

len einzig und allein, auf die heilige Schrift, so muss dieselbe einen *Richter in den Streitigkeiten* abgeben; so müssen diese nach derselben beygelegt und die Schrift für die *einzige Richtschnur* des Glaubens und Lebens erkannt werden. Daher wird ihr *ein canonisches Ansehen* mit Recht beygelegt. GOTTFRIED BÜCHNERVS h) exinde sequens format argumentum: Wenn die Menschen bey dem Geschäfte eine seligmachende Erkenntnis und ewige Glückseligkeit zu erlangen keine andre Lehre, als diejenige, welche in der heiligen Schrift enthalten, um Rath fragen sollen, so muss die heilige Schrift nothwendig zureichend seyn, alles dasjenige, was zu Bewirkung unserer ewigen Glückseligkeit zu wissen, zu glauben und zu thun nöthig, darbieten. Und da sich dieses also verhält, so gebrauchen wir keines andern Erkenntnis-Grundes der seligmachenden Lehre. Atque deinceps pergit: Aus Esa. 8, 20. schliesse also: Worauf wir verwiesen und verpflichtet werden, uns in denjenigen Dingen, welche unsere ewige Glückseligkeit betreffen, Raths zu erholen, das muss die adaequate, ja einzige Richtschnur seyn, darnach Wir alle die wegen Einrichtung unsers Glaubens und Lebens entstehende Zweifel untersuchen und auflösen. Nun werden wir auf Gesetz und Evangelium, das ist, die ganze heilige Schrift verwiesen; Folglich müssen wir nach dieser alle entstandene Zweifel in Glaubens und Lebenssachen untersuchen und auflösen. Und wenn dieses, so ist die heilige Schrift Richterin in Glaubens und Lebenssachen.

§. III.

h) in *Collegio biblico oder Beweis der Glaubensartikel unserer allerheiligsten Religion aus Hauptsprüchen der heiligen Schrift.* p. 14 et 15.

§. III.

Sicut vero celeberr. D. ZACHARIAE *) nihili prorſus facit dictum noſtrum, omnem eidem de ſacra ſcriptura noſtra aliquid aſſerendi aut probandi vim denegans, ita ego e contrario magni illud pendeo, ſpem ingrediens firmam, fore, vt alii noſtram explicationem ſatis perpendentes conceſſuri ſint, quod non *ſufficientia ſcripturae ſacrae in rebus fidei* ſolum, ſed *eiusdem perſpicuitas* etiam ritę omnino exinde probari poſſit. Illam enim ob rationem ſufficientia in rebus ad ſalutem ſcitu neceſſariis tribuitur ſcripturae ſacrae, adeoque eadem pro principio cognoſcendi in rebus fidei vnico declaratur in dicto noſtro, quia in eiusmodi rebus ſatis perſpicua eſt illa, et ambiguitate caret, prout iam in diſſertatione noſtra oſtendemus.

SECTIO II. DOCENS.

§. IV.

Dictum illud in codice ſacro hoc eſt, לְתוֹרָה וְלְתְעוּדָה אִם־לֹא יֹאמְרוּ כַדָּבָר הַזֶּה אֲשֶׁר אֵין־לוֹ שָׁחַר: quod optime recteque verti poteſt: *Legem et teſtimonium* conſulat populus: *annon dicere deberet quilibet ſecundum verbum hoc, in quo nulla eſt ambiguitas?* Quae verſio ſi probata fuerit, quilibet, credo, abſque vlla diſſimulatae perſpicit, atque lubenter concedet, hoc dictum innuere, quod in rebus fidei ſolum verbum diui-

num

*) conf. eius *Bibliſche Theologie, oder Unterſuchung des bibliſchen Grundes der vornehmſten theologiſchen Lehren*, P. I. p. 124 ſq. et pag. 160 ſqq.

num conſulere debeamus, ita vt 1) effatum ipſum hac de re ſuppeditetur in propoſitione prima, et 2) ratio huius effati addatur in propoſitione ſecunda.

§. V.

In determinando dicti cuiusdam ſenſu nexus eiusdem cum antecedentibus et conſequentibus haud negligendus, ſed probe potius conſiderandus eſt. Pauca igitur praemittenda etiam erunt de connexione loci noſtri, antequam ipſa verba locum huncce efficientia ſingulatim perpendamus, iſtiusque ſenſum integrum indicemus. Negari quidem non poteſt, plurimos ſcripturae ſacrae interpretes circa nexum capitis VIII. Ieſaiae haeſitare, eorumque vnum hoc, alterum alio modo, nexum iſtum conſtituere, ſicut ex ABRAH. CALOVIO *k*), MATTHAEO POLO *l*), WOLFG. DANIELE SONNEMAYERO *m*), IOH. GEORG. STARCKIO *n*), CAMPEGO VITRINGA *o*), et H. V. ALPHEN *oo*), cognoſci poteſt: Quum autem ex Rom. IX, 33. pateat, quod oratio verſ. 13. 14. 15. de Meſſia tanquam Iehoua deo exercituum intelligenda ſit, et Paullus Hebr. II, 13. doceat, quod Meſſias verſ. 17. et 18. loquatur; omnia in antecedentibus et conſequentibus optime cohaerebunt, ſi quis totam pericopam a verſu 12 vſque ad 18. tam-

k) in Bibliis illuſtratis Vet. Teſt. Tom. II. p. 49.

l) in Synopſi Criticorum aliorumque ſacrae ſcripturae interpretum Tom. III. ad verſ. 18. pag. 90. in fin. et ad verſ. 19. p. 91.

m) in Diſſertatione ſupra citata ſub praeſidio ZELTNERI habita, Cap. II. Sect. I. §. 2. 3. pag. 22 ſqq.

n) in Synopſi bibliothecae exeget. ad Ieſ. VIII, 16—22. pag. 180.

o) in Commentario in librum prophetiarum Ieſaiae ad Cap. VIII. verſ. 16. pag. 272. verſ. 17. p. 273. et verſ. 19. 20. p. 277.

oo) in Prophet. Bylaage ouer Ieſ. VIII. p. 235. 271. 272. 289.

Digitized by Google

tanquam orationem Messiae ad Prophetam loquentis, et reliqua capitis nostri commata tanquam conclusionem a Propheta exinde formatam considerare velit. Messias nimirum prophetam cum populo suo adhortatur, vt coniurationem regum Israelitarum et Syrorum haud timeant vers. 12. sed vt fiduciam ad vires humanas respicientem abiiciendo, Messiae, deo vero suo, maiorem adhuc in posterum liberationem redemtionemque procuraturo, soli confidere studeant vers. 13. Plenariam itaque promittit securitatem, et asserit, se fore sanctuarium siue solatium sanctum ratione credentium, licet etiam lapis offensionis siue scandalum impiis et infidelibus futurus sit, vers. 14. 15. Quam doctrinam cum promissione adiecta vates facer discipulis seu filiis Dei bene imprimere et inculcare iubetur vers. 16. vt per illam in fiducia sua in deum collocanda confirmentur, ficut ipse Messias suo hac in re exemplo illis praeiuerit vers. 17. 18. Et exinde iam infert propheta atque docet, quomodo discipuli isti seu filii dei se gerere debeant in tota vita, tam in angustiis constituti, quam circa alias res scitu illis necessarias versantes, praecipue contra illos, qui alium quam verum deum iubeant vel suadeant consulendum, vers. 19. 20. Ad diuinam nimirum doctrinam et promissiones in scriptura sacra obuias semper respicere iubet propheta colentes deum, si a recto tramite aberrare nolunt *p*).

p) Consentit nobiscum de oratione Messiae a vers. 12 — 18. constituenda nouissime IO. HENR. WALTHERVS in versione germanica oraculorum Iesaiae ad Cap. VIII. *nota u. p. et r.* pag. 32 sqq. vbi de reliquis versibus huius capitis ad Prophetam referendis pag. 34. *nota s.* addit: Die redenden Personen wechseln mit diesem Verse ab. Die Rede gehet nun ohne Absatz fort. Im folgenden redet offenbar der Prophet. Also muß er hier schon wieder anfangen. Der Inhalt leidet es auch wohl. Er redet Leute seiner Zeit an, und ermahnet sie, sich auf Gott zu verlassen, der gewiß seine

§. VI.

Propoſitionem primam conſtituunt verba לְתוֹרָה וְלִתְעוּדָה, ad quae ex commate praecedente ſuppleri debet עַם יִדְרֹשׁ, vt propoſitio tota ſit *legem et teſtimonium requirat populus.* Ellipſis ipſa nulla laborat difficultate, quia duo vocabula noſtra per magnum diſtinctionis ſignum, quod vocatur Atnach, a ſequentibus in textu hebraeo ſeparantur, et voces iſtae duae עַם יִדְרֹשׁ in praecedentibus quaeſtionibus, ad quas in dicto noſtro reſpondetur, adfuerunt [q]); ratione conſtructionis autem notandum eſt, quod verbum דָּרַשׁ in commate praecedente cum אֶל, et in noſtro verſu cum particula ל ex אֶל decurtata, conſtructum, ſignificationem *conſulendi* et *requirendi* exprimat. Quemadmodum enim verbum דרשׁ cum אל conſtructum indicat abitum aliquò ad quaerendum, ſiue interrogandum, et conſulendum, qui tamen abitus non tam eſt appropinquatio loci, quam mentis conuerſio et propoſitum ſiue intentio Iſ. XI, 10. XIX, 3. Iob. V, 8. Deuter. XVIII, 11. ſic eadem quoque eſt ſignificatio cum litera ל, prouti patet ex 2 Chronic. XVII, 3. 5. XVIII, 31. XXXIV, 3. Pſalm CXLII, 2. Iob. X, 6.

§. VII.

ne Verheiſſungen erfüllen werde, obgleich vorher noch furchtbare Zeiten kommen müſsten. Noua haec verſio german. prodiit Halae 1774. in 8. ſubtitulo: *Die Weiſſagungen des Propheten Ieſaias, überſetzt von Iohann Heinrich Walther — mit einer Vorrede begleitet von — Herrn D. Gotthilf Traugott Zachariae*, eamque deſcripſi in Biblioth. Orientali et exegetica Part. VII. pag. 246 ſqq.

q) Admodum frequens enim eſt vocum omiſſio per ellipſin, ſi in praecedentibus earum facta fuerit mentio. Conf. SALOM. GLASSIVS in Philol. ſacra Lib. IV. Tract. II. Obſ. VIII et ſqq. p. 1218 ſqq. et IO. ANDR. DANZIVS in Interpret. Ebraeo-Chald. §. 170.

Digitized by Google

§. VII.

Quod autem attinet ad ipsa duo vocabula תורה ולתעודה in propositione prima obuia, prius eorum vi originis a verbo יָרָה in Hiphil *docuit*, *monstrauit*, indicat *doctrinam*, institutionem qua monstrantur facienda et omittenda, siue *legem*, et secundum vsum biblicum mox late de tota doctrina religionis a Deo nobis reuelata, ideoque de verbo diuino generatim sumitur r), mox stricte idque vsitatissime de parte illius doctrinae, quae scilicet praecipit nobis, quid faciendum aut quid omittendum sit, id est, de lege diuina s), adhibetur. Vocabulum postetius תעודה, quod praeter Iesai. VIII, 16. et Ruth IV, 7. nullibi amplius in scriptura sacra occurrit, vi originis a verbo עוד t) *idem esse*, in Piel *idem esse facere*, sic [illegible] *conseuerare*, in Hiphil vsitatissime ac frequentissime *testari*, *contestari*, significat *testimonium* et *testificationem*. Vbi notandum est, quod nomen eius cognatum ab eadem radice sub forma diuersa deriuatum עדות *testimonium*, secundum vsum biblicum iterum mox late de tota doctrina, quam testatus est Deus, siue de verbo diuino generatim, vsurpetur u), mox stricte partem illius doctrinae, istam scilicet denotet, quae euangelium vocatur, et de gratia Dei, ac promissionibus beneficiisque per Christum impetrandis, testatur v).

r) v. g. Iesai. II, 3. V, 24. XLII, 4. Mich. IV, 2. Psalm. I, 2. XIX, 8. XXXVII, 31. CXIX, 1. 18. 34. 70. 72. 77. 92. 163.

s) v. g. Deuter. XXXIII, 4. Ios. VIII, 31. 1 Reg. II, 3. 2 Reg. XXII, 8. 11. Ier. XVIII, 18. Thren. II, 9. etc.

t) Psalm CXLVI, 9. CXLVII, 6.

u) conf. Psalm. XIX, 8. CXIX, 88. 2 Reg. XI, 12.

v) Sicut in noui testamenti libris etiam vocabulum graecum nostro respondens aperte de euangelio adhibetur 1 Corinth. II, 1. 1 Timoth. II, 6. 2 Timoth. I, 8. 1 Ioh. V, 9. 11. Apocal. I, 2. 9. XX, 4.

Digitized by Google

§. VIII.

Ex iis, quae iam diximus, euidenter liquet, quod תורה aeque ac תעודה verbum diuinum, totamque religionis doctrinam denotare queat. Quod autem hoc loco vocabulum vtrumque simul sumtum de verbo diuino intelligi debeat, ex rationibus sequentibus patescet. *Primo* nimirum תורה et תעודה, quae consuli debent a colentibus Deum, effatis pythonum et diuinatorum opponuntur. Cum igitur haec pythonum et diuinatorum effata, tanquam res quibus tuto confidere nemo posset, a populo dei consuli non debeant, illa vero effata, quibus tuto confidere possumus, sint vtique effata Dei et verbi eiusdem; תורה et תעודה vi oppositionis de verbo diuino intelligenda sunt. *Secundo* תורה et תעודה in propositione secunda versus nostri dicuntur *verbum cui non est ambiguitas*, prout statim videbimus. Cum igitur hoc praedicatum in nullam aliam rem tam bene, quam in verbum diuinum quadret; propter hoc praedicatum, vocabulis nostris תורה et תעודה tributum, eadem de verbo diuino recte hoc loco intelliguntur. *Tertio* connexio textus et exinde fluens scopus orationis requirit, vt assumamus, prophetam docere velle, quomodo cultores Dei contra illos, qui alium quam verum Deum iubent vel suadent consulendum, se gerere debeant, vt nimirum, si a recto tramite aberrare nolunt, ad verbum diuinum respiciant, eidemque conuenienter agant. (§. V.) Ergo etiam propter contextum et scopum orationis תורה et תעודה de verbo diuino intelligi debent. Si quis autem iam quaereret, an vtrumque vocabulum תורה et תעודה seorsim sumtum hoc loco denotet totum verbum diuinum, ideoque

pro

Digitized by Google

pro perfecte ſynonymis haberi debeant voces iſtae duae; id negare non dubito. In ſignificatu vſitatiori enim תורה de lege diuina, et תעורה de euangelio vſurpatur. (§. VII.) Cum igitur ſignificatus vocum famoſior atque vſitatior ſine neceſſitate non deſerendus ſit; תורה et תעורה hoc loco vnam eandemque plane rem denotare non putandum eſt, ſed תורה potius ad legem diuinam et תעורה ad euangelium referri debet. Vt vero ſententia atque interpretatio noſtra ſuperior hoc modo tollatur, tantum abeſt, vt eadem potius denuo exinde confirmari queat, ſi modo diſtinguas inter vocabulum vtrumque תורה et תעורה *ſeorſim* ſumtum, et inter vocabulum vtrumque *ſimul* ſumtum. Poſterius enim tantum intelligimus, atque nunc concludimus: quia vocabulum תורה partem legalem verbi diuini denotat, et תעורה partem euangelicam eiusdem indicat, totum autem verbum diuinum et in veteri et in nouo teſtamento contentum lege et euangelio abſoluitur; vocabulum vtrumque תורה et תעורה ſimul ſumtum de verbo diuino interpretari debemus, ideoque voces duae illae ſimul ſumtae de ſcriptura ſacra recte omnino in loco noſtro intelliguntur.

§. IX.

In explicanda altera dicti noſtri propoſitione magnus interpretum diſſenſus deprehenditur. Sicut autem in hac diſſertationis ſectione de illo non erimus ſolliciti, ita noſtram tantum de hac propoſitione ſententiam, in vſu vocum, contextu, et relatione idearum accentibus determinata, fundatam, et perſpectu facilem, proponemus. Vnde patebit, quod nec ellipſin

ellipſin in hac propoſitione duram admittendi, nec ad ſignificatum inuſitatiorem tam pronominis אֲשֶׁר, quam vocabuli עַד, nec ad enallagen, nec ad pleonaſmum, nec ad verborum transpoſitionem coactam, confugiendi, nec accentuum hebraicorum valorem derelinquendi, vlla adſit neceſſitas.

§. X.

Vocabulum אִם particulam conditionalem *ſi* plerumque denotat, ſed frequentiſſime etiam pro aduerbio interrogandi *an*, *num*, *vtrum*, ponitur. Et nemo valde mirabitur hoc, qui perpendet, quod eadem particula conditionalis non ſolum in lingua graeca *), tam in libris noui teſtamenti, quam apud profanos, ſed in ipſo etiam Latio **) ita vſurpetur. Si exemplis quibusdam aſſertum illud illuſtrare debemus, notentur velim v. g. Ierem. III, 5. vbi verba הֵינָטֹר לְעוֹלָם אִם־יִשְׁמֹר לָנֶצַח interrogatiue vertuntur *num ſeruabit* iram *in ſeculum? an cuſtodiet in aeternum?* a LXX, Chald. Syr. Vulg. Pagn. Tigur. Arias Mont. Anglic. Tremell. Piſcat. Belgic. Vatabl. Raupp. Schmid. etc. Amos III, 6. vbi verba הֲתִקַּע שׁוֹפָר בְּעִיר וְעָם לֹא יֶחֱרָדוּ אִם־רָעָה בְּעִיר וַיהוָה לֹא עָשָׂה optime vertuntur *an eſt: malum in ciuitate, quod Iehouah non facit?* ſicut LXX, Chald. Syr. Arab. Pagnin. Tigur.

*) Sic enim v. g. in *Lucian.* eſt: ἆρα σοι ὦ Μίνως, εἰ τον δίκαια λέγω λέγειν, *eſne tibi Minos, an tibi iuſta dicere videar?* Marc. XV, 44. ἐπηρώτησεν αὐτον εἰ πάλαι ἀπέθανε· interrogauit illum, an iam dudum mortuus eſſet? it. Matth. XII, 10. XIX, 3. XXVI, 63. Luc. VI, 7. XIII, 23. XIV, 3. 28. 31. XXII, 49. Actor. I, 6. IV, 19. V, 8. XIX, 2. XXI, 37. etc. conf. SALGLASIVS in Philol. ſacr. Lib. III. Tract. VII. Canon. VI. p. 1099 ſq. et CHRIST. NOLDIVS in Concordantiis particularum p. 65. edit. Tymp.

**) Sic enim v. g. *Terentius* habet: Vilam, ſi domi eſt, h. e. an ſit domi? conf. *Turſellinus* de Particul. edit. Schwartzii p. 936. ſqq.

Digitized by Google

Tigur. Asiaemont. Anglic. Tremell. Piscat. Belgic. Drus. Grot. Vatabl. Raupp. aliique, vim interrogandi particulae nostrae attribuerunt. it. Iesai. XXIX, 16. XLIX, 24. L, 2. LXVI, 8. 9. Genes. XXXVII, 8. XXXVIII, 17. Exod. XVII, 7. Numer. XI, 12. 22. Iud. VI, 31. IX, 2. XI, 25. Ieremi. II, 14. 28. V, 1. 9. 22. 29. VIII, 4. 19. 22. IX, 8. XIV, 19. 22. XVIII, 14. XXIII, 24. XXX, 6. XLVIII, 27. XLIX, 1. Thren. V, 22. etc. Et haec significatio recte hoc loco adsumitur. Sicut enim in praecedentibus adfuerunt quaestiones, ita etiam nostra propositio interrogative vertenda est, et particulae הֲלֹא עַם versi. 19. הֲלֹא עַם יִרַשׁ, *annon populus requiret*, particula אִם־לֹא in nostra propositione respondet אִם־לֹא יֹאמְרוּ *annon dicent*.

§. XL

De nominibus collectivis, ad quorum numerum vocabulum עַם *populus* pertinet, notum est, quod eiusmodi nominibus singularibus haud raro addantur verba pluralia a). Si quis igitur verbum plurale יֹאמְרוּ *dicent* in nostra propositione secunda obvium cum nomine isto עַם in propositione prima iam adsumto combinare velit; propositio nostra erit: *annon populus dicet secundum verbum hoc?* Et quoniam alias etiam verba activa absolute sine nominativo apud Hebraeos posita sumuntur passive, aut pronomen quoddam *aliquis, quilibet* sed. intiolnunt. b); verbum nostrum per se sine relatione

a) conf. SALOM. GLASSIVS in Philol. sacra Lib. III. Tract. III. Canon. LIII. p. 908 sqq. et L. ANDR. DANZIVS in Interpret. Ebraeo-Chald. §. 81.

b) conf. SALOM. GLASSIVS l. c. Lib. III. Tract. III. Can. XXIII. p. 816. sqq. et L. ANDR. DANZIVS l. c. §. 79. II. p. 80.

Digitized by Google

ne ad nomen illud עִם verti poteſt *dicet quilibet*, ſiue *dicetur*. Si igitur regulam quandam notiſſimam, ſecundum quam verbum, quod actionem videtur exprimere, ſaepe de debito exponi poſtulat [a]), adplicare velimus; exinde oritur et diiudicanda venit verſio noſtra ſupra allata: *annon dicere deberet quilibet ſecundum verbum hoc?* ſiue paſſiue: *annon dicerem ſecundum verbum hoc?*

§. XII.

Particula לְ, quae notam datiui communiter conſtituit [b]), ſuffixo tertiae perſonae praemiſſa, vertenda eſt *illi*. Cumque eiusmodi ſuffixa ſaepenumero caſum obliquum nominis aut pronominis praecedentis indicent [c]); pronomen אֲשֶׁר, quod cum ſequente אֵין־לוֹ per accentum coniunctiuum connectitur, cum eodem iuncti ſumtum recte vertitur *cui*, idemque ad vocem praecedentem וַיִּבְרַח in hac propoſitione obliſam optime refertur. Si igitur particulae negandi אֵין verbum ſubſtantium, per ellipſin ſaepiſſime apud Hebraeos omiſſum [d]), additur; vocabula iſta propoſitionis noſtrae ſecundae אֲשֶׁר אֵין־לוֹ verti

b) conf. GLASSIVS l. c. Lib. III. Tract. III. Can. VI. p. 763 ſq. et DANZIVS l. c. §. 68.

c) conf. GLASSIVS l. c. Lib. IV. Tract. I. Obſ. IV. not. I. p. 1182. et DANZIVS l. c. §. 19. I.

d) v. g. *genitiuum*, Pſalm. XVIII, 31. וְהָאֵל תָּמִים דַּרְכּוֹ Dei via eſt perfecta. it. Pſalm. CIV, 17. Nahum I, 3. *datiuum*, Dan. I, 17. וְלַיְלָדִים הָאֱלֹהִים et pueris illis quatuor dedit. *accuſatiuum*. Gen. I, 27. זָכָר וּנְקֵבָה בָּרָא אֹתָם maſculum et feminam creauit. *ablatiuum* Ioſ. III, 4. תֵּדְעוּ אֶת־הַדֶּרֶךְ אֲשֶׁר תֵּלְכוּ־בָהּ cognoſcetis viam, in qua ibitis. Ioſ. I, 3. IV, 3. conf. DANZIVS l. c. §. 19. II.

e) conf. GLASSIVS l. c. Lib. III. Tract. III. Can. LVI, 3. pag. 913. et DANZIVS l. c. §. 177.

Digitized by Google

verti possunt ac debent: *cui* verbo *non est*, scil. quod idem est, *quod* verbum *non habet*.

§. XIII.

Circa vltimum vocabulum, שחר in diuersissimas abeunt partes interpretes. Apud plerosque eorum retinetur e Lexicis communiter *aurora*. Et licet in eo consentiant omnes inter se, quod aurora proprie talis admitti non possit, siue ad personas verbum diuinum deferentes, siue ad verbum diuinum ipsum per הרבר in dicto nostro intelligendum, vox illa שחר referatur; in eo tamen discrepant a se inuicem, quomodo tropice exponi debeat aurora illa. Altiorem igitur indaginem vocabulum hocce requirit.[f]). Notetur proinde generatim I. quod radix שָׁחַר, vnde nomen nostrum descendit, communissime significet *niger fuit*, *niger factus est*, *obscurus fuit*. Inde oritur שָׁחוֹר *niger*, שְׁחוֹר *nigredo*, et שַׁחַר *primum diluculum*, siue *aurora*, quum res nobis obuiae adhuc sunt obscurae, et nondum satis dignosci et distingui possunt. Quae significatio apud Arabes quoque obtinet, in quorum lingua occurrit سحر *tempus antelucanum*, سحرا et سحري *multo mane*, *primo diluculo*, siue *prima aurora*, سحر *matutinum tempus*, *aurora*. II. quod tempus matutinum apud docto-

[f]) Et in vocabulo hoc ex arabica lingua illustrando valde operosus et nimis prolixus fuit inprimis vir celeberr. EVERART SCHEIDIVS in Dissertat. philologico-exegetica ad loca Iesai. VIII, 20, et Ezech. VII, 7. anno 1770 habita, quae extat in eius *Schediasm. philologicis ad linguae hebr. sacrique codicis promouenda studia in alma Gelrorum academia nuper ventilatis*, pag. 71 sqq. Quod scriptum recensui in Biblioth. Orient. et Exeg. Part. V. p. 133 sqq.

doctores talmudicos in plures diuidatur partes, ita vt primum istius initium, quo tota noctis obscuritas nondum cessat, sed dies demum aliquo modo illucescere incipit, ab illis vocetur שַׁחַר, siue in sic dicto statu emphatico שַׁחֲרָא, prout ex Talm. Hierosolymit. Tract. *Berachoth* fol. 1. sq. cognosci potest [f]). Ideoque vocabulum nostrum שַׁחַר a בֹּקֶר vt angustius a latiori differt. III. quod hoc aurorae vocabulum שחר, praeter locum nostrum vicies et semel in codice sacro veteris testamenti occurrens, tam proprie quam improprie ibi sumatur, ita vt proprie acceptum significet primum lucis tempus, siue fuscum illud quod est medium inter lucem et caliginem, sole nondum exorto Gen. XIX, 15. 23. XXXII, 26. Ios. VI, 15. Iud. XIX, 25.

§. XIV.

Quoniam significatio propria vocabuli שַׁחַר in dicto nostro plane non admitti potest, de improprio eius significatu nunc erimus solliciti. Obseruandum proinde est, quod aurora improprie accepta symbolum esse queat 1) de initio cognitionis, felicitatis, et salutis. Sicut enim lux vel dies, in oppositione ad tenebras vel noctem, saepissime indicat cognitionem, felicitatem, et salutem [g]); ita aurora, quae est initium

f) Ex hac de re obseruatio n. 2 R N. FABERI in Beobachtungen über den Orient Part. II. p. 172. exinde emta notari meretur, in qua dicitur: Die Talmudisten theilen den Morgen in vier Theile: 1) in den Anbruch des Morgens, und dieses nennen sie עמוד השחר: dies ist die Zeit, da des Morgen grauet: 2) in die Zeit, da man das Weisse und Blaue am Himmel unterscheiden kann: 3) in die Zeit, da der Himmel gegen Osten helle wird: 4) in die Zeit, da die Sonne aufgehet.

g) v. g. Ies. LIX, 9. Ierem. XIII, 16. Psalm. XXXVI, 10. XLIX, 20. CXII, 4. Iob.

tium lucis, initium iſtarum mox nominatarum rerum indicare poteſt [i]). 2) de amoenitate et pulchritudine. Sicut enim lux noctem et tenebras ſequens easdemque depellens omnino grata eſt atque amoena hominibus, ita etiam aurora rem gratam et amoenam commode exprimere poteſt [k]) 3) de velocitate et ſubito alicuius rei ortu. Sicut enim aurora repente adeſt, et miranda velocitate ſeſe diffundit, ita commode adhiberi poteſt de omni, quod ſubito et in momento adeſt, vel oritur [l]). 4) de rebus in quibus ambiguitas quaedam et obſcuritas deprehenditur. Sicut enim aurora proprie accepta innuit primum diluculum, atque tempus illud, quo aliquid nondum ſatis dignoſci et ſufficienter diſtingui poteſt, ita facile illa ad res, quae non ſatis clarae et perſpicuae ſunt, ſed ambiguitate quadam et obſcuritate laborant, transferri poteſt. Quae ſignificatio apud Arabes etiam occurrit, vbi ﺳﺤﺮ denotat *circumuentionem* doloſam, *faſcinationem* et *incantationem*, *technam valde ſubtilem*, et omne

Ee 3

Iob. XVIII, 5. 6. 18. XXX, 26. XXXVIII, 15. etc.

i) De euolutione huius et ſequentium idearum conferri poteſt SALOM. GLASSIVS in Philol. ſacra Lib. V. Tract. I. Cap. X. p. 1680 ſqq. MATT. FLACIVS in Claue ſcripturae ſacrae Part. I. ſub Voc. *aurora* p. 63 ſqq. et PETR. RAVANELLVS in Biblioth. ſacra ſub Voce *aurora* p. 170 ſq.

k) Quae ſignificatio deprehenditur Cantic. VI, 9. Hoſ. VI, 3.

l) Huc refertur a FLACIO Ioel. II, 2. Pſalm. CXXXIX, 9. quando l. c. „Ioel. II, 2. ſumitur, *inquit*, ſimilitudo ab aurora, ad declarandam magnitudinem et ſubitum aduentum exercitus Babyloniorum, hiſce verbis: *Veluti aurora expanſa ſuper montes, populus multus et fortis; ſimilis illi non fuit.* Quae ſimilitudo perſpicua eſt: quia ſicut aurora, et ſubito, et omnia contegit et montibus ac cacuminibus inſidere videtur: ſic et exercitus ille. Vicina huic loquutio eſt Pſalm. 139. v. 9. *ſi aſſumam alas aurorae et conſidam in nouiſſimo maris.* Alluditad celerrimam radiorum ſolis excurſionem, qui momento ab oriente ad occidentem peruenium: perinde, ac ſi aurora celerrimas alas haberet.“

omne illud quo capitur homo, decipiturue. Cumque hoc fieri ſoleat per ſermones ambiguos et actiones ſimulatas, idea ambiguitatis ſimul vocabulo iſto apud Arabes inuoluitur et ſupponitur. Et ſic quoque apud eosdem eſt ساحر et مسحر *faſcinator, incantator, praeſtigiator*, et مسحر *faſcinatus, praeſtigiis technisue deluſus aut captus, deceptus.*

§. XV.

Adductis hoc modo variis vocabuli שחר ſignificationibus, determinandum iam erit, quaenam ex iſtis hoc loco admitti et reliquis praeferri debeat. Quod ſignificatus proprius aurorae deferendus hoc loco ſit, omnes ac ſinguli lubentiſſime concedunt; ex pluribus vero *ſignificationibus* impropriis, quarum vna eligenda eſt, modo haec placuit vni, modo alia ſe commendauit alteri. Praemiſſa autem ſententia, quod verba שחר אל שחר adiectionem quandam verbi diuini efficiant, ſine difficultate perſpici poterit, ex adductis ſignificatibus plurimis eligendum eſſe illum, et vocabulum שחר de *ambiguitate* intelligi debere. Idea velocitatis et repentini ortus enim in cenſum non venit, vbi de affectionibus ſcripturae ſacrae verbum diuinum continentis ſermo eſt, et ratio redditur, cur verbum diuinum conſulendum ac requirendum ſit. Porro nec defectus felicitatis ſalutisque, nec defectus pulchritudinis amoenitatisque, de verbo diuino praedicari poteſt; defectus ambiguitatis autem eidem omnino tribuendus eſt. Ergo idea *ambiguitatis* cum vocabulo שחר optime hoc loco combinatur, et tota propoſitio recte vertitur:

Digitized by Google

tur: *annon dicere deberet quilibet secundum verbum hoc, cui non est ambiguitas?*

§. XVI.

Sicut interrogationes negatiuae affirmatiuum sensum saepissime gignunt, m) ita nostra etiam interrogatio negatiua *annon dicere deberet quilibet secundum verbum hoc, cui non est ambiguitas?* affirmatiue potest intelligi: *quilibet omnino dicere debet secundum verbum hoc.* Atque sic in his verbis continetur ratio, cur verbum diuinum vbiuis consulendum eidemque conuenienter agendum sit, quando a recto tramite aliquis recedere non vult. Ideo nimirum verbum diuinum sedulo consulere eidemque conuenienter agere debemus, quia illud sincerum est, nec ambiguitatem habet. Totius ergo dicti nostri sensus eo redit, vt in illo doceatur: populum dei, si a recto tramite recedere et decipi nolit, nullibi ad pythonum atque diuinatorum effata ambigua et fallacia confugere, iisdemque confidere debere, sed verbum diuinum ab illo potius semper vtique esse consulendum, quia illud ambiguum non esset, et effatis eius conuenienter quilibet semper loqui et agere deberet. Et exinde vtraque thesis supra §. III. indicata facile nunc deriuari et probari poterit.

§. XVII.

Thesis prima ex dicto nostro probanda haec est: *Scriptura sacra in rebus ad salutem spiritualem necessariis sufficiens est.* Secundum dictum hoecce nimirum in tota agendi ratione verbum

m) Quod multis exemplis illustratur atque confirmatur in SALOM. GLASSII *Philologia sacra* Lib. V. Tract. II. Cap. V. pag. 2092 sqq. Quorsum pertinet v. g. Genes. XIII, 9. *annon vniuersa haec terra tibi est exposita?* i. e. vniuersa haec terra omnino tibi est exposita.

bum diuinum vnice ſemper eſt conſulendum. Ergo etiam in rebus fidei verbum diuinum vnice ſemper conſulendum eſt. Si vero in rebus fidei verbum diuinum vnice ſemper conſulendum eſt, ſequitur, vt verbum diuinum in rebus ad ſalutem ſcitu neceſſariis ſufficiens eſſe debeat. *Ergo etiam ſcriptura ſacra* verbum diuinum continens *in rebus ad ſalutem ſcitu neceſſariis ſufficiens ſit neceſſe eſt.* Et exinde porro etiam concludi poteſt, quod ſcriptura ſacra ſit vnicum principium cognoſcendi in rebus fidei. Nam quod ita ſe habet, vt in rebus ad ſalutem ſcitu neceſſariis ſufficiens ſit, praeter illud nullo alio ſalutis cognoſcendae principio opus eſt. Adeoque illud pro vnico principio cognoſcendi in rebus fidei agnoſcendum eſt. Ergo verbum diuinum pro vnico principio cognoſcendi in rebus fidei agnoſcendum eſt. *Ergo etiam ſcriptura ſacra* verbum diuinum continens *pro vnico principio cognoſcendi in rebus fidei agnoſcenda eſt.*

§. XVIII.

Theſis altera ex dicto noſtro fluens ſupra indicata haec eſt: *Scriptura ſacra in rebus ad ſalutem ſcitu neceſſariis eſt perſpicua.* Secundum hoc enim dictum verbo diuino in tota agendi ratione conſulendo ambiguitas denegatur. Sin autem verbum diuinum in tota agendi ratione conſulendum ambiguitate caret, verbum diuinum in rebus ad ſalutem ſcitu neceſſariis ambiguitatem habere non debet. Ergo etiam ſcriptura ſacra verbum diuinum continens in rebus ad ſalutem ſcitu neceſſariis ambiguitatem habere non debet. Scripto, quod ambiguitate non laborat, perſpicuitas tribuitur. Ergo etiam ſcripturae ſacrae in rebus ad ſalutem ſcitu neceſſariis perſpicuitas competit.

SECTIO-

Digitized by Google

SECTIO III. CONFIRMANS.

§. XIX.

Postquam vero interpretationem, vt credimus, perspectu facilem et firmis fundatam rationibus, nunc proposuimus, ad aliorum interpretum sententias et proferendas et diiudicandas progredienmur, in quibus *vel* ellipsis dura, *vel* significatio coactior tam vocabuli אשר quam nominis שחר, *vel* enallage, *vel* pleonasmus, *vel* verborum transpositio, *vel* neglectus accentuum hebraeorum, circa explicandam propositionem secundam dicti nostri sine ratione sufficienti admittitur. Cum igitur nulla harum difficultatum prematur interpretatio nostra, aliorum vero interpretationes vel vna vel pluribus istarum simul laborent, nostram interpretationem reliquis omnibus praeferendam esse, quilibet a praeconcepta opinione adhuc liber facile concedet. Et sic, ex aliarum sententiarum refutatione, nostra simul confirmabitur interpretatio, ideoque reliquam huius dissertationis partem nomine sectionis confirmantis inscribere placuit.

§. XX.

Ad primam propositionem quod attinet, illam esse ellipticam et aliquid ex commate praecedente ad eandem esse supplendum, ad vnum omnes fere concedunt. Quare nihil circa hanc propositionem amplius obseruabimus, nisi quod clariss. SCHELLINGIVS significationem plane aliam a nostra diuersam vocabulo תעורה tribuat n), et celeberr. ZACHARIAE vtrum-

n) conf. M. IOSEPH FRIEDR. SCHELLINGS Abhandlung von dem Gebrauch der arabischen Sprache zu einer gründlichen Einsicht in die Hebrai-

vtrumque vocabulum תורה et תעודה non ad scripturam sacram, sed ad peculiarem tantum oralem promissionem diuinam populo israëlico de non exstirpando semine Dauidis datam, referat o). Sed sicut SCHELLINGIVS ad significationem nimis restri-

bräische, vbi pag. 65. scribit: תורה gehet auf *das geschriebene Wort*, und תעודה auf die *mündlichen Aussprüche Gottes* im Allerheiligsten.

o) conf. D. GOTTHILF TRAUGOTT ZACHARIAE Biblische Theologie oder Untersuchung des biblischen Grundes der vornehmsten theologischen Lehren P. I. vbi p. 124. haec leguntur: תורה und תעודה können nicht die heilige Schrift, oder die damals vorhandene, obgleich wahrscheinlich noch nicht gesammlete Bücher derselben, und eben so wenig allein die Bücher MOSIS seyn. Denn *so wie beyde Wörter auf einerley Sache gehen, so ist auch hier gänzlich dasselbe zu verstehen, als Vers. 16.* folglich die vom ISAIAS auf göttlichen Befehl aufgeschriebene Weissagung auf künftige Zeiten, welche nicht einerley seyn kann mit denen schon Vers. 1. auf eine Rolle geschriebenen Worten, die auf die baldige Strafen über ISRAEL und SYRIEN gehen. Es ist vielmehr V. 16. ein Befehl, die ihm in einem prophetischen Gesichte, darin ihm IMMANVEL erschienen, ertheilte Offenbarung V. 12 — 15. aufzuzeichnen, und sorgfältig für die gegenwärtige und künftige Schüler dieses IMMANVELS zu bewahren, welche bis zu seiner Zukunft das jüdische Volk des göttlichen Beystandes und der Erhaltung desselben versichern sollte. Folglich ist es eine kurze Belehrung des Volks von Gott selbst, welcher sie glauben sollten, anstatt dass sie in den bedrängten Umständen Belehrung durch die abergläubische Künste der Wahrsager suchten. *Daher kann in Absicht der eigentlichen Bestimmung der heiligen Schrift nichts daraus geschlossen werden.* Et ibidem p. 160. scribit auctor noster: Iés. 8, 19. 20. ist von einer besonders grossen göttlichen Verheissung, so dem jüdischen Volke, und besonders dem Hause DAVIDS ertheilet worden, so die stärkste Versicherung für beyde seyn sollte, dass beyde noch nicht gänzlich ein Ende haben, und von ihren damaligen Feinden ausgetilget oder gänzlich vernichtet werden könnten, die Rede. Da diese weder AHAS noch die meiste Juden seiner Zeit für zuverlässig genug erkennen wollten, sondern sich lieber bey elenden Wahrsagern nach dem Ausgang der bedrängten Zeiten des Volks erkundigten, und ihre dunkele und unverständliche Antworten den deutlichsten Versicherungen Gottes vorzogen: so werden die noch übrige Verehrer des Ichova gewarnet, an diesem schändlichen Aberglauben nicht

reſtrictam nulla ratione probatam confugit, ita etiam rationes ZACHARIAE, quas ad probandum ſignificatum ſuum peculiarem et reſtrictum, et ad expungendum dictum noſtrum e numero dictorum claſſicorum in articulo de ſcriptura ſacra attulit, nondum probant, quod probare debent. Primo enim, ſi doctiſſimo viro concedere velimus, vocabula תורה et תעידה verſ. 16. de peculiari promiſſione diuina tantum eſſe intelligenda, nondum ſequitur, vt in loco noſtro etiam vocabula iſta ad eiusmodi promiſſionem diuinam reſtringi debeant. Nam ex conceſſis eius verba verſ. 16. ſunt verba Immanuelis ad prophetam loquentis; ſed verba verſ. 19. et 20. ſunt verba prophetae populum ſuum a peruerſo pythones et diuinatores conſulendi modo dehortantis, et ad doctrinam atque effata in ſcriptura ſacra obuia remittentis, prout ex contextu patet (§. V.). A ſignificatione vocabulorum autem in ſermone vnius occurrentium ad eundem ſignificatum illorum in ſermone alterius ſub aliis circumſtantiis obuiorum non tuto ſemper concludere poſſumus. Deinde nec omnis vis probandi dicto noſtro denegari poteſt, nec illud ex numero dictorum claſſicorum in loco de ſcriptura ſacra extinguendum eſt, ſi vel maxime omnia reliqua viro doctiſſimo concedamus. Ex eius enim ſententia hoc tamen remanet, quod populus iſraeliticus ideo promiſſionibus diuinis inhaerere, nec ad pythones aut diuinatores con-

nicht Antheil zu nehmen, ſondern jenen thörichten Ungläubigen zu antworten: „Sollte nicht das Volk Gottes mehr auf die Ausſprüche ſeines „Gottes achten? Sollte es ſtatt des lebendigen Gottes ſich bey den Todten Raths erholen? *Sollte es nicht „auf den feyerlich verſicherten Unterricht Gottes achten?* Sollten ſie nicht „nach dieſem göttlichen Worte allein „ſprechen, welches die elende Dunkelheit nicht hat, als die Antworten „jener Wahrſager? (oder auch: welches von keinen Zauberkünſten et„was weis?)" Vom geſchriebenen Geſetze Gottes iſt hier folglich gar nicht die Rede, und von keiner Entſcheidung in Glaubensſachen.

fugere debeat, quia a deo veracissimo illae proficiscuntur. Exinde ergo concludere possumus, quod etiam scripturae sacrae eiusque effatis inhaerere debeamus, quia a deo veracissimo, qui eum in finem illam nobis dedit, vt viam salutis ex illa cognoscere queamus, profecta est eadem. Si autem scriptura sacra a deo veracissimo profecta, nobisque eum in finem data est, vt viam salutis exinde cognoscceremus, ad salutem cognoscendam scriptura sacra sufficiens sit necesse est.

De variante LXX Interpr. lectione vt multa dicam, necessarium non erit. Omnes enim codices, et versiones quas vidi, nostram habent lectionem. Et ne celeberr. STRVENSEE quidem, versioni isti graecae tantum, quantum fieri potest, tribuens huius lectionis facit mentionem, sed nostram propositionem vertit: *An der Lehre, an dem Zeugniss* haltet euch! et in nota addit: *supple* הִרְשׁוּ p). Videntur autem LXX verba nostra transferentes νομον γαρ εις βοηθειαν εδοκει legisse forsitan לְמוֹרָה pro לִישׁוּעָה, qualem substitutionem aliarum litterarum apud ipsos ex oscitatione haud infrequentem esse notissimum est, sicut eadem quoque in propositione secunda iterum conspicua est. Caeterum addam hoc vnicum, quod OECOLAMPADIVS insiurandum his verbis subesse autumet, q. d. IVRO PER LEGEM ET TESTIMONIVM, *si declinauerint a verbo Dei, quod non illucescat eis,* sicut ל apud Arabes iurandi particulam constituit q), quodque celeberr. SCHEIDIVS verba nostra reddat: *sane, profecto, ecce, legem et testimonium!* siue, *en tibi* legem et testimonium! vel etiam *quod ad legem et testimonium attinet* r).

§. XXI.

p) conf. eius Neue Ueberſetzung der Weiſſagungen Iesaiae, Ioels, Amos, Obadja und Micha, nach dem hebraeiſchen Text mit Zuziehung der griechiſchen Verſion pag. 24.

q) conf. nostrae Institutiones Arabicae linguae §. 89.

r) conf. eius Schediasmata philologica ad linguae hebraeae sacrique codicis veteris testamenti promouenda studia. pag. 115.

Digitized by Google

§. XXI.

Diuersae autem circa propositionem secundam dicti nostri interpretationes propius nunc considerandae sunt. Et non in eo solum discrepant inprimis a se inuicem interpretes, vtrum אשר אין־לו ad verbum diuinum, an vero ad illos, qui non dicunt secundum verbum diuinum, i. e. conuenienter eidem non loquuntur et agunt, sit referendum; sed vario etiam alio modo eorum interpretationes dispesci possunt. Interim pro iis, quae supra (§. IX. et XIX.) diximus, easdem ad sex classes diuersas iam redigere placet, in quarum *prima* illi auctores apparent, qui ad ellipsin sine necessitate confugiunt. Et huc pertinent CAMPEG. VITRINGA [r]), IOH. IAC. RAMBACHIVS [s]) et qui eos sequuntur alii. Hi enim vertunt: *si non dixerint secundum verbum hoc*, affirmo ego, dico ego, iuro ego, confirmo vobis, *quod non futura sit illis aurora*. Sed licet omnem in codice hebraeo ellipsin, satis ibi frequentem, minime negem; ista tamen ellipsis hoc loco dura est, quia sine illa sensus facilis et commodus prouenit, eademque ideo sine ratione sufficiente adsumitur.

§. XXII.

Ad *secundam* classem referendi sunt, qui significatum coactiorem et difficiliorem tam vocabuli אשר, quam nominis שחר, admittunt. Et ad primum quidem quod attinet; non desunt, qui significationem pronominis vsitatissimam et vbiuis ferme obuiam deserunt, et vocabulum hocce aduerbialiter hoc loco *certe*, *profecto*, *omnino*, sumere volunt. Quorsum

r) in Commentar. in librum prophetiarum Iesaiae ad h. l. p. 280.

s) conf. eius Gründliche Erklärung des Propheten Esaiae ad h. l. p. 140.

lum pertinent SEB. SCHMIDIVS [t]), CHRISTIAN. NOLDIVS [u]), aliique. Sed significatus hicce valde a nemine vrgeri potest [x]). Et si vel maxime penitus eundem negare et reiicere nolimus, longe tamen rarissimus, ideoque vsitatiori postponendus est, vt taceam, quod ab omnibus interpretibus significationem illam admittentibus enallage singularis in יה pro plurali להם simul adiumatur.

§. XXIII.

Quod vero attinet ad nomen יהוה, recentiorum pleriique vsitatissimum significatum auctorae in codice sacro mox proprie mox improprie acceptae delerunt, et ad Arabismum, significatione biblica plane neglecta, statim confugiunt. Et huc pertinent EMO LVCIVS VRIEMOET [y]), EVERHARTVS SCHEIDIVS [z]), IOH. DAVID MICHAELIS [a]), IOSEPH. FRID. SCHELLINGIVS [b]), GOTTHILF TRAVGOTT ZA-

CHA-

[t]) In Commentat. super illustres prophetias Iesaiae ad h. l. p. 90. vbi de vocabulo אכן ait: „cum Vulgato omitti potest, vel verti per *profecto, certe*; si non dixerint iuxta verbum hoc, *profecto* non erit ipsis aurora."

[u]) Qui in Concordantiis Particularum pag. 98. pro hac significatione sequentia adducit loca Eccles. I, 10. 1 Sam. XV, 20. Zach. VIII, 23. Iob. IX, 15. Ies. V, 28. VIII, 20.

[x]) Sicut enim ipse TYMIVS editor Noldii loca ab hoc adducta aliter explicat in adiectis notis g. h. i. k. l, ita etiam loca a LVDOV. DE DIEU prolata, in quibus vocula אכן affirmationis emphasin habere dicitur, Ps. X, 6. XCV, 11. CXLIV, 12. 1 Sam. XV, 20. Ies. VIII, 20. Habak. III, 6. a IOH. COCCEIO in Lexico et Commentar. sermonis hebraici p. 69. reiiciuntur.

[y]) in libro: *Ad dicta classica theologiae dogmat. veteris testam. selecta, Adnotationes philol. theol.* Tom. I. p. 111. et 112.

[z]) in *Dissertatione philologico-exegetica* ad Ies. VIII, 20. et Ezech. VII, 7. l. c. p. 80 sqq.

[a]) in *Bibliotheca Orientali et Exeget.* P. I. p. 128.

[b]) in libro suo: *Abhandlung von dem Gebrauch der Arabischen Sprache zu einer gründlichern Einsicht in die Hebräische* p. 80 sqq.

CHARIAE c), et IOH. HENR. WALTHERVS d), in eo inter se conuenientes, quod שחר ex vsu Arabum verti debeat *incantatio*, *fascinatio*, *circumuentio dolosa*. Sic enim VRIEMOET asserit, quod voci huic lumen accendatur „e lingua ara„bica; in qua سحر, quod idem prorsus, si formam vocis „spectes, cum שחר (litera Schin mutata solummodo in Sin, „more solito,) *incantatio*, *fascinum*, vti frequenter in Alco„rano, vbi queritur Mohammed de inimicis, qui dicebant de „prolatis ab ipso pericopis e) ما هذا الا سحر مبين nihil ali„ud haec, quam fascinum manifestum. Inde مسحور *fasci„natus*, *incantamentis deceptus*, vt in illo aduersariorum Mo„hammedis, Sur. 25, 8. إن تتبعون الا رجلا مسحورا *non „sequimini nisi virum fascinatum*. — Vt itaque in nostro di„cto אשר אין לו שחר, sit: *in quo* (verbo scil. דבר חזה, „quod proxime praecedit) *nullum est fascinum*; opposite ad „inania verba hariolorum, de quibus commate praecedenti.“ Doctiss. SCHEIDIVS praemissis multis de origine et significatione vocabuli שחר tandem p. 120. concludit: „Ad legem „*quod attinet* et ad testimonium, si non locuti fuerint secun„dum verbum illud, aduersus quod dolosa nulla valebit cir„cumuentio, s. fascinatio: vers. 21. *tum certe* transiturus est „per eam *terram*, dura pressus paupertate famelicusque, et „futurum est, quando famelicus fuerit, vt iracundia vehementi „semet

c) vide eius *Bibliſchi Theologie* oder Unterſuchung des bibliſchen Grundes der vornehmſten theologiſchen Lehren P. I. p. 161.

d) in Verſione eius germanica oraculorum Ieſaiae p. 34 et 35.

e) conf. Sur. V, 119. in Edit. Maracc. ſed in Edit. Hinckelm. verſ. 110.

Digitized by Google

„ſemet ſit concuſſurus, et blasphemias eructaturus in regem „ſuum (*Meſſiam*) atque in Deum ſuum; oculos ſurſum re„rendo. Quodſi vero aſpexerit terram, *tum* ecce futura eſt „anguſtia tenebrarumque conſtrictio, ſtatus vertiginoſus, ar„ctatio, et ſpiſſa caligo, diſpulſio mera, *vel*, qualis in grege „*a caulis* diſpulſo cerni ſolet." Verba celeberr. MICHAELIS, ZACHARIAE et SCHELLINGII eandem ſignificationem arabicam admittentium in mea Bibliotheca Orient. et Exeg. P. V. p. 140. et 141. iam adduxi; eademque proinde vt denuo repetantur neceſſe non erit; ſed meum potius iudicium modeſtum pace virorum doctiſſimorum ſtatim adiiciam. Concedo nimirum lubentiſſime, quod iſta ſignificatio apud Arabes occurrat, eademque ex Alcorano praeter loca a VRIEMOETIO iam adducta cum SCHELLINGIO Sur. VI, 7. VII, 106. 107. 108. 110. 112. 113. X, 2. 77 ſqq. XV, 15. et ex *Hariri* cum SCHEIDIO confirmari queat; ſed addo 1) vbi in explicandis locis biblicis lingua hebraea ſola ſufficit, ibi ſubſidio arabicae, hebraea penitus neglecta, nondum opus eſt. 2) ſignificatio iſta arabica non eſt ſignificatus immediatus et proximus, ſed mediatus tantum et remotus, quia radix שחר, vnde nomen noſtrum deſcendit, non apud Hebraeos ſolum, ſed in reliquis etiam linguis orientalibus cognatis apud Chald. Syros, Samaritan. et Arabes, ſignificat *niger fuit*, *obſcurus fuit*, it. *inueſtigauit*, quoniam ea, quae obſcura ſunt, inueſtigatione egent. Inde oritur nomen שחר *primum dilucidum*, *aurora*, quum res nobis obuiae adhuc ſunt obſcurae, et nondum ſatis dignoſci et diſtingui poſſunt, quae ſignificatio apud ipſos quoque Arabes in ſ ح ر et ſ ح ر obtinet (§. XIII. num. I.). Porro exinde fluit idea *ambiguitatis*, partim quia illis quae obſcura et ambigua

ambigua sunt inuestigatione opus est, partim quia aurora ambiguitatis symbolum commodum constituit. Sicut enim aurora proprie accepta primum diluculum atque tempus illud indicat, quo aliquid nondum satis dignosci et sufficienter distingui potest, ita facile illa ad res, quae non satis clarae et perspicuae sunt, sed ambiguitate quadam et obscuritate laborant, transferri potest (§. XIV. num. 4.). Et quoniam tandem per sermones ambiguos aut alias actiones simulatas alter capi et decipi potest, exinde demum idea *circumuentionis* dolosae, *fascinationis* et *technae fabrilis* orta, et cum nomine isto combinata fuit (§. cit.). Cum igitur significatio *ambiguitatis* sit propior, facilior et foecundior, quae egregie in dictum nostrum quadrat (§. XV.), ista recte vltimae huic notioni praefertur. Atque hoc modo vsus vocis nostrae in lingua arabica ad comprobandam significationem hebraeam a nobis erutam adhiberi potest, eandem autem expellere non debet.

Nullam iterum meretur attentionem versio graeca LXX seniorum, qui hoc loco pro שְׁרֵה legerunt שֹׁרֵר *domum, munus*, secundam propositionem nostram reddentes: *ἵνα εἴπωσιν ἀχ ὡς το ῥημα τυτο, περι ὃ ἐκ ἐστι δωρα δυναι περι αὐτυ.* Quae lectio atque versio nec a codicibus hebraeis, nec ab aliis versionibus *), nec ab vllo interprete saniore adprobatur, nisi quod HOVBIGANTIVS, qui in mutatione violenta textus masorethici vlterius adhuc pro

*) Ne quis vero versionem Syriac. et Arabicam contra nos forsitan vrgeat, sciat velim, has versiones e septuagintavirali esse factas.

pro more suo progreditur, istius lectionis faciat mentionem, eandemque ex parte laudet, et pro vocabulo שׁוֹחֵר a LXX accepto substituat שָׂהֵר *testis*. Hic nimirum vers. 19 et 20. vertit: *Quod igitur dicunt vobis, scisciramini pythones et hariolos, aut ex antro mussitantes et vaticinantes, nonne Deos suos vnaquaeque gens scisciatur? Itane pro viuis mortui interrogantur? De lege autem ac de testimonio non erit quod dicant, non erant ei testes.* Et deinceps ad illustrandam versionem suam pergit: ידרש בעד: „Locus „mutilus ita supplendus, vt ידרש iteretur, posita in medio altera „interrogatione, hoc modo: — אם ידרש בעד. ידרש (*nonne „populus Deos suos*) *interrogat; an interrogent pro* (*viuis mortuos?*) „Duplicans verbum ידרש Graeci interpr. posito ἐπερωτήσει, in „membro priore, ἐπερωτᾶσι in posteriore, et addita τί interrogatione, quae respondet interrogationi alteri אם, quam mutuamur ex „versione inferiore, vbi superuacanea est, seriemque orationis intercipit. vers. 20. אם לא יאמרו: Tolle אם, vt modo dicebamus, quam coniunctionem etiam hic omittunt Graeci Intt. quam „autem qui expressere, vel deseruere contextum suum, vel nihil „dixere. Sententia haec est, non erit vt dicant, non fuisse re„rum testes praedictarum, cum videbunt famem grassantem etc. „Nam legendum שׂהר, *testis*, non שׁחר, *aurora*. Legebant „Graeci Intt. שׁחר, *donum*, scriptione falsa in ז, bonae in ר, „quam litteram ex illis mutuamur."

§. XXIV.

Ad *tertiam* classem nunc pergimus, in qua conspiciuntur illi, qui enallagen in vocula לו quaerunt, vt posita sit pro plurali להם.

לנגד. Et huc pertinent omnes interpretes, qui verba אשר אין לו שחר non ad דברי חזות *verbum diuinum*, sed ad לא יאמרו *homines qui verbo illi conuenienter non loquuntur*, referunt. Et his adnumerandi iterum sunt VITRINGA, RAMBACHIVS et SCHMIDIVS iam adducti. Sed 1) nulla enallage admittenda est, vbi sine illa sensus planus prouenit. Equidem noui, quod nonnulli forsitan non enallagen, sed distributiuam significationem adesse dicturi sint, vertentes cum aliis: si non dixerint secundum verbum hoc, *nulli eorum* erit aurora *f*); sed sic enallage tamen implicita et virtualiter talis adhuc remanet, et praeterea 2) ab alia illi cum reliquis premuntur difficultate, dum pronomen illud לו tanquam terminum relatiuum non ad proxime praecedens חדברי; sed ad remotius יאמרו referre student, quod etiam vllibi sine necessitate summa fieri non debet.

§. XXV.

Quarta classis interpretationum a nostra diuersarum est, in quibus Pleonasmus admittitur, et אשר plane omittitur. Et

 huc

f) VITRINGAM hac in re sequitur etiam Ven. SAM. FRID. ZICKLERVS, qui in Collegio suo biblico p. 55. verba nostra transfert: Wenn sie nicht nach diesem Wort reden werden; *so wird es geschehen*, dass *keiner von ihnen* die Morgenröthe sehen wird. ZELTNERVS vero, sine SONNEMAYERVS, in Diss. cit. non solum enallagen nondum penitus euitauit, sed simul aliam ellipsin admittit, quando p. 30. propositionem nostram vertit: Si non quinis dicit secundum verbum hoc; *erit scil. talis*, cui non aurora h. e. erit coecus, infelix, et, vt ita loquar, illuminatus.

huc pertinet *Vulgatus*, et qui cum sequuntur plures alii g). Hic enim vertit: *Ad legem magis, et ad testimonium. Quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.* Sed sicut cum philologis accuratioribus in pleonasmum plane otiosum aegerrime consentio, ita hic certe pro nostra interpretandi ratione nulla prorsus ad pleonasmum confugiendi adest causa.

§. XXVI.

Ad *quintam* classem interpretationum a nostra diuersarum referendi sunt illi, qui ordinem verborum naturalem deserunt, et in transpositione eorundem refugium quaerunt. Et huc praeter HOVBIGANTIVM, omnia sibi licere putantem, cuius verba supra (§. XXIII. Schol.) adducta sunt, pertinent ABEN ESRA, VATABLVS, *Tigurinae versionis* auctores h), aliique. Ab his verba nostra vertuntur: *Ad legem et testimonium* accedant, *quibus lux deest, annon secundum istum sermonem dicunt?* aut: cui deest lux vel intellectus, legem et contestationem audiat, annon consentiant nobiscum. Cui versioni aliam etiam addit explicationem Vatablus h. m. „Per legem et per testimonium: si non dicturi sunt talia, „quibus non est sensus communis. i. e. Tam verum est fore, „ut

g) Quibus etiam adnumerandus est MICH. WALTHER in officina biblica, repositor. priori §. 215. vbi propos. nostra vertitur: *si non dixerint secundum verbum hoc, non videbunt auroram matutinam.*

h) De his conferri potest IOH. GOTTLOB CARPZOVIVS in Critica sacra vet. testam. p. 737 sqq. edit. 2dae.

Digitized by Google

„vt aliqui e populo Dei consulant diuinos, quum vera est lex: „dispereamque nisi futuri sint aliqui tam stolidi in populo „Dei, vt alios sint hortaturi ad consulendum diuinos: quae „res sensu communi caret. Vel vt praecedentia sequenti„bus iungantur: Vt prophetia de qua paulo ante, vera est; „ita et hoc, quod futuri sint aliqui etc.“ a) Et similiter verborum transpositionem admittit ABEN ESRA, qui particulam אם לא affirmatiue accipit, et totum comma deinceps reddit: *De lege et testimonio dicent* improbi, *quod non sit ei aurora*, q. d. occulta eius non educuntur in lucem. Sed sicut ex omnium linguae hebraeae satis peritorum confessione eiusmodi verborum transpositio, quae in latina et graeca lingua est frequentissima, et ad elegantiam in illis plerumque adhibetur, apud Hebraeos, qui naturalem verborum ordinem obseruant, sine summa necessitate nullibi admittenda est, ita pro nostra interpretatione admodum facili ista transpositione plane opus non est.

§. XXVII.

In *sexta* tandem classe illi interpretes suum occupant locum, qui accentuum hebraeorum indolem negligunt. Et in eorum numerum praeter alios referendi sunt IOH. PISCA-

a) conf. Biblia sacra ex hebraeo et graeco latine facta. Altera tralatio vetus est, altera noua cum adnotationibus FRANC. VATABLI etc. Hanouiae in 4. maj. 1605. edita, p. 970.

Digitized by Google

TOR. [k]), SAAOM. GLASSIVS [l]), ALB. SCHVLTENSIVS [m]), IOH. DAV. MICHAELIS [n]), CHRIST. GOTTFR. STRVENSEE [o]), et *Anonymus Gerlicensis* [p]), qui diuersa contra accentuum consecutionem impingunt ratione. Alii enim post אל־תאמר, vbi adest seruus *Mahpach*, distinctionem constituunt, et tantam quidem, vt non solum dominus ipsius *Pasehta*, sed etiam *Sukeph katon*, et *Tiphcha* quoque, minoris essent valoris, quam iste. Id quod factum est a Piscatore, Glassio, Schultensio, et Struensee. PISCATOR enim comma nostrum vertit: *Legem et testimonium* consulunto: *sin minus, dicant secundum verbum istud cui non* est *aurora;* et in Scholio adiecto pergit: *Sin minus*, id est, si nolunt consulere Mosen et veros prophetas. *Dicant secundum verbum istud cui non* est *aurora*, id est, amplectantur verbum falsorum prophetarum quod caret vera consolatione, ac proinde non exhilarat mentes, vt aurora exhilarat oculos hominum. Metaphora. Estque hic permissio indignantis et comminantis. GLASSIVS haec habet: *Ad legem et*

k) conf. eius Commentariorum in omnes libros vet. testam. Tom. IV. p. 35 et 36.

l) in Philol. sacra Lib. V. Tract. I. Cap. X. p. 1682.

m) conf. eius Epistola II. ad r. c. MENKENIVM perscripta p. 36 et 76.

n) conf. eius Biblioth. Or. et Exeget. Part. I. p. 128.

o) conf. eius Noua Versio oraculorum Iesaiae etc. p. 24.

p) in libro, qui inscribitur: Der Prophet Iesaias, nach dem Wortverstande der Hebräischen Sprache betrachtet, und mit allerley philol. und theol. Anmerkungen erläutert. Vol. I. p. 153. et p. 265 sqq.

Digitized by Google

et ad testimonium, (huc; illuc reclamandum, et haec consolanda ex Dei voluntate sunt!) אִם לֹא *si non*, (vel, sane minus; si noluerint quaestum ire ad legem et testimonium veritatis divinae) *dicent* (concessio ironica, cum indignatione coniuncta: dicant sane, quia aliter nolunt, etiam haec plus serioque moniti: *dicant*, inquam) *secundum verbum hoc* (videlicet *cui non est aurora* (lux vlla divinae gratiae et solaminis). SCHULTENSIUS eandem versionem retinens pauca addit h. m. Ad legem et testimonium: Si non! dicant secundum verbum illud, cui nulla est aurora: *praecepta et decreta sequamur quae fidem in verbum Dei extinguunt, nulla vnquam aurora inde colluſtrandi.* Et versio germanica STRVENSEEI haec est: An die Lehre, an das Zeugniſs *hältet euch!* Geſchieht das nicht; ſo ſagt man euch ſo was vor, worin nicht das geringſte Licht iſt. i. e. Wahrheit und Troſt. Alii autem hemiſtichium posterius dicti noſtri ad versum sequentem referunt, ita vt illud conſtitueret protaſin, cuius apodoſis in versu sequente contineretur; ideoque *Silluko* minorem tribuunt valorem quam *Atnacho*. Sic enim celeb. MICHAELIS vertit: Weiſſagung und Lehre laſs ſie fragen! Wenn ſie dis Wort nicht nachſprechen wollen, das ohne Blendwerk iſt, ſo werden ſie verhärtet und erbebend im Lande herum gehen; wenn ſie voll Schrecken ſind, in Wuth gerathen, und ihren König und ihren Gott verfluchen, in die Höhe ſehen, und auf die Erde blicken,

und

und da wird Noth und Einſterniſs ſeyn. Et auctor anonymus in libro ſuo Gorlicii in 8. edito hanc exhibet verſionem: Hin zu der göttlichen Lehre, und zu dem Zeugniſſe! Wenn ſie nicht ſo ſprechen zu einem, der ſich keine Auskunft weiſs; ſo wird er drinnen *herum laufen*, verſtürtet und verhungert etc. Sed quia accentus hebraici, contra quos eiusmodi interpretationes impingunt, ab interprete S. S. ſine neceſſitate relinqui non debent, quicquid de origine eorum ſtatuat; noſtra interpretatio vim vocum et reliquis textus circumſtantiis conueniens ex hac etiam ratione denuo confirmatur, quia accentuum conſecutioni exacte reſpondet.

De interpretatione a IOH. CHRIST. ORTLOBIO in Diſſert. ad h. l. *de aurora verbi diuini non falſi* Lipſ. 1715. propoſita, et ab H. B. STARCKIO in *Notis ſelect.* ad h. l. adprobata aliquid adhuc monendum eſt. Ille nimirum comma noſtrum reddit: *Legem et teſtimonium* (quaerent); *ſi non dicturi ſint* (dicere nolint) *ſecundum verbum iſtud* (Pythonicum) *cui non eſt aurora* (i. e. nihil lucis et illuminationis, nihil veritatis, nihil ſalutis eſt, atque hinc lerna malorum ſubſequentium. v. 21. 22.). Omnino nimirum aſſeri poteſt, quod haec interpretatio accentibus non repugnet. Sed quia חושך־לו non ad proxime praecedentia verba תורה ותעודה ſine verbum diuinum, ſed ad remotiora pythonum effata, refertur, iſti etiam interpretationi calculum meum addere nolui. Et nullam aliam amplius

explicationis meae interpretationem, quae propiorem nostram adederet, quam eam, quae debetur THEOD. HASAEO, nostram propositionem vertenti: *Annon enim secundum hoc verbum loquentur, in quo nulla est obscuritas?* Hanc versionem suppeditauit in Dissert. singulari, quae inserta est Tom. XIII. *Histoire critique de la République des Lettres* num. II. eandemque repetiit in Disput. *de inscriptione psalmi vicesimi secundi, in qua illud* אילת השחר *esse instrumentum musicum, probatur*, quae in Biblioth. Bremensi Classi. I. Fascic. I. num. III. extat, vbi §. 15. p. 55. haec leguntur verba: „Et apud Es. XIV, 12. בן שחר „non est *filius auroras*, siue *stella matutina*, sed *filius tenebrarum*. Inprimis autem apud eundem diuinum Vatem Cap. VIII. „vers. 20. שחר non *auroram*, sed *caliginem* et *tenebras* notat, totumque comma ita est vertendum; *Ad legem et testimonium! Annon enim loquentur iuxta hoc verbum, in quo nulla „est* OBSCVRITAS? vel; *quod si non loquentur* iuxta hoc „verbum, אשר אין לו שחר, *cui non obscuritas*, tum sc. eas „poenas exspectandas habebunt, quas commate sequenti proponuntur. Ita autem et sensum plene planeque fluere, et apte „omnia praecedentibus aeque ac sequentibus cohaerere, vnusquisque videt, et liquidissime a me ostensum esse arbitror."

S. D. G.

CONSPECTVS CONTENTORVM.

I. EXERCITATIO de ἀκριβείᾳ in eligendis dictis classicis probe obseruanda. pag. 1 — 26.

Continetur in hac Exercitat. programma publicum pro suscipiendo munere professoris theol. primarii in acad. Witteberg. euulgatum Domin. Palmarum 1775.

II. EXERCITATIO, Orationem de inspiratione diuina ad solam S. Sae materiam non commode restringenda exhibens. Vbi simul dictum classicum Math. X, 19. 20. contra *Clericum* et Ven. *Zacharias* vindicatur. p. 27 — 48.

III. EXERCITATIO, Lectionem publicam de Logomachiis circa doctrinam de peccato in Spiritum S. obuiis, ex dictis classicis huius doctrinae optime dirimendis, sistens. p. 49 — 64.

IV. EXERCITATIO, sistens Commentationem exegetico-theologicam ad Luc. I, 35. in qua abusus antiquitatum hebraicarum in illustranda obumbratione virtutis altissimi Mariae annunciata indicatur et remouetur. Particula I. p. 65 — 76.

Continetur in hac Exercitat. Programma publicum nomine Rectoris academ. Magnifici Fer. I. Nativ. Christi 1775, scriptum.

V. EXERCITATIO, sistens Commentationem exegetico-theologicam ad Luc. I, 35. in qua abusus antiquitatum hebr. in illustranda obumbratione virtutis altissimi Mariae annunciata indicatur et remouetur. Particula II. p. 77 — 96.

Continetur in hac Exercitat. Programma public. nomine Magnifici Rect. acad. Fer. I. Pasch. 1776. promulgatum.

VI. EXER-

Digitized by Google

VI. EXERCITATIO de ficta satisfactionis Christi cruentae origine. p. 97 — 116.

Continetur in hac Exercitat. Epistola gratulatoria a doctissimo MESSERSCHMIDIO nomine collegii scholastici Vitemberg. elaborata, quae inscripta est: De ficta satisfactionis Christi cruentae origine inquirunt, viro — Ioanni Friderico Hirtio — Iena Vitembergam euocato, atque amplissima munera sacrae theol. professoris primarii — capienti, gratulaturi Rector et Magistri scholae ciuicae. Vitembergae litteris Dürrii in 4. Ex qua tantummodo gratulatio ipsa in fine adiecta hic de industria est omissa.

VII. EXERCITATIO, in qua continetur Commentatio exegetica ἐπισκοπον μη νεοφυτον ad 1 Tim. III, 6. explicans. p. 117 — 132.

Hanc Commentationem debemus Maxime Reuerendo SCHWARZIO, a quo Ienae litteris Strausianis in 4. edita est: Commentatio exegetica ἐπισκοπον μη νεοφυτον ad 1 Tim. III, 16. explicans, qua simul viro — Ioanni Frid. Hirtio — sanctorum et grauissimorum munerum aditum ex pectoris intimo gratulatur M. IO. CHRISTOPH. ION. SCHWARZIVS Pastor et Superintendens Frauenbriesnizensis, societatum quae Ienae florent, ducalium, latinae pariter atque teutonicae collega honorarius. Ex qua iterum, et ex necessaria quidem modestia, quae ab initio et in fine huius laboris, gratulationis et laudis causa, adiecta fuerunt, omissa sunt.

VIII. EXERCITATIO, Commentationem in Hymnum Dauidis Regis XVI. sistens. p. 133 — 158.

Edidit hanc Commentat. clariss. WICHMANNVS s. t. Epistola ad virum — I. F. Hirtium — qua ipsi abitum, nouaque amplissima munera decentissime gratulatur, simulque in Hymnum Dauidis regis XVI. breuiter commentatur GODOFR. IOACH. WICHMANNVS A. M. et ecclesiarum Loebstad. et Zwaezensis in agro Ienensi inferiori Parochus. Ienae, Litteris Fickelscherr. in 4. Et quae ad praeced. Commentationem mox diximus, denuo sunt repetenda.

IX. EXERCITATIO, de diuino in descriptione templi Ezechielis consilio. p. 159 — 202.

In lucem prodiit haec Exercitat. Vitembergae, litteris Car. Christ. Dürrii acad. a typis 1775. in 4. s. t. De diuino in descriptione templi

templi Ezechielis consilio meditatio theologica, auctore M. ADOLPHO BOGISLAO GRULICHIO. Praemiserat auctor Plurim. Reuerendus epistolam dedicatoriam et gratulatoriam, ad me et collegam meum honoratissimum D. Cir. Christ. Tittmannum coniunctim directam, quam vero nunc quoque, vt antea, in hac collectione omisi.

X. *EXERCITATIO* exegetico-theologica in locum difficiliorem Iesaiae VIII, 20. p. 203 — 241.

Sectiones duae priores huius exercitationis pagina quarta defuntae sunt ex Dissertat. exegetico-theologica ad Iesa. Caput VIII, 20. *de loco scripturae sacrae obscuro perspicuitatem huius scripturae probante*, quam M. Henr. Gotthilf Oertel d. 31. Maii 1776. sub meo praesidio publice defendit.

WITTEBERGAE,

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google